



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Historiæ Societatis Iesv Pars ...

Ab anno Christi MDXCI. ad MDCXVI / Auctore Josepho Juvencio Societatis
ejusdem Sacerdote

Orlandini, Nicola

Romæ, MDCCX

Lib. XXIII. Religio defensa, illustrata, & propagata per Societatem Jesu in
America, ab anno MDXCI. ad MDCXVI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98121](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98121)

LIBER XXIII.
PARTIS V.
HISTORIÆ SOCIETATIS
IESU.

Argumentum & Synopsis Libri XXIII.

Religio per SOCIETATEM IESU defensa, illustrata,
& propagata in America, ab anno Christi
MDXCI. AD ANNUM MDCXVI.

SOCIETATIS labores in Regno Mexicano. Domus Professorum Mexici condita. Collegia Patzquarense & Tepozotlanum. II. Cinaloa exulta. III. P. Gundisalvus Tapia casus à barbaris. IV. Sedes Zacatecana, Guadianensis, & S. Ladróni à Pace. Cicimeci, Acagei, Xiximes, alique populi ad Christianam religionem adducti. V. Obitus PP. Ioannis Plaza, Ferdinandi Suaris, & Petri Sancii. Alumnus S. Ioannis à Deo aditus in Mexicanam urbem per Socios apertus. V. Varia Missiones utiliter peracta. VII. America Australis partes. Res gestas Peruvia. VIII. Limanus Archiepiscopus à Sociis abalienatus placatur. Collegium Platense. IX. P. Antonius Lopes veneno; P. Michael Urrea prefixis ferro iussibus à barbaris mactati: P. Raphael Ferrerius ab iisdem abiectus in profluentem. X. PP. Alphonsus Barsana, Petrus Agnascus, Ioannes de Arienza, Michael Pastor, Ildefonsus Miranda, Ruizius de Portillo, & aliquot alii, Evangelicis laboribus immortui. Collegia Guamangense & Carthaginense. XI. Collecti fructus è regno Chilensi, Paraquaria, & Tucumania. Chilense collegium & Cordubense. XII. Provincia Paraquaria. Collegium Boni Aeris. XIII. Quid sit Servitium Personale apud Indos. Quanto studio & periculo illud impedire Socii conati sint. Statio in urbe Mendoza, Sancti Michaelis, & Sanctæ Fidei. Chiloe exulta cum vicinis insulis. Collegium Assumptionis. XIV. Paranenses, Guaicurei & Guairanii Christianis moribus instituti. XV. P. Martinus de Aranda, P. Horatius Veccebius, & Didacus Montalbanus à dynasta religionis & pudicitia hoste casti. Quatuor stationes in regno Chileno. XVI. Societatis in Brasilia fausti labores. XVII. Illorum premium adeptus morte pretiosa P. Franciscus Pintus. XVIII. Obitus, virtutes, & miracula P. Iosephi Anchieta.

S. I.
SOCIETATIS LABORES IN MEXICANO REGNO.

AMERICA duas in partes vulgo tribuitur, septentrionalem unam, alteram Australem. Utramque jungit angustus isthmus, ubi Panama. In America septen-

Septentrionali præcipuè numerantur Canada, sive nova Francia; Mexicanum regnum, Cinaloa, California; postremò Virginia, & Florida. De Canada diximus Libro XV. Societas in eam ingressa sub annum MDCXI. stabilem ac firmam ibi sedem nisi anno circiter MDCXXV. non habuit. Floridam deserere coacta est anno MDLXXII. Californiam haud ita pridem cepit excolere. In regnum Mexicanum, sive Novam Hispaniam, vocata est anno MDLXXII. Regionem hanc ab Ortu Florida terminat; ab Occasu mare & peninsula California; à Septentrione pars Novæ Franciæ; à Meridie Panamensis isthmus. Mexicum primaria civitas. In ea Societati collegium jam inde ab anno MDLXXII. datum erat. Domum Professorum anno MDXCIII. condidit Ludovicus Ribera, Mexicani regni arario præfectus. Censuerat Aquaviva differendam ædificationem; & expectandum donec major Sociorum in regno Mexicano foret numerus. Aiebat Professorum domum stare non posse sine multis operariis uni loco additis, quorum interim laboribus fraudarentur Mexicana gentes, ad quas tamen excolendas nostri potissimum in Americam transmittabant. Deinde futurum ut averteretur à collegio, vel certè minueretur liberalitas civium, qua vix etiam sustentabatur. Hanc teneri posse rationem, ut tota pecunia eidem collegio Mexicano addiceretur, ea lege ut Professoris domum exstrueret, quæ reipsa paulatim ædificaretur ex annuo fructu ejusdem pecuniæ, qui post domum constructam collegio ipsi accederet in perpetuum. Ita Riberam & fundatorem Professorum domus, & alterum collegii velut parentem fore. Verum ille moras ædificationis tam lentæ non ferens, aliò derivare piam liberalitatem cogitabat, nisi extemplo secundum sua vota negotium transigeretur. Res ad Provinciam Congregationem, habendam anno MDXC. de Visitatoris Didaci Avellaneda sententiâ, rejicitur. Visum est Patribus congregatis utendum esse occasione, nunquam fortasse reditura: cumque id urbs enixè flagitaret, ita censeret Prorex, neque aliud, si adesset, Aquaviva ipse judicaturus videretur, morem gerendum Ribera; eâ tamen conditione ut Præpositus Generalis ratum Congregationis decretum haberet. Itaque domus constructi cœpta, templumque gratulanti civitati patuit anno MDXCII. festo die, quo B. Virginis in templo filium offerentis memoria instauratur. Publicam civium ac Sociorum latitiam tres religiosi Ordines turbavere, conquesti propius abesse domum nostram à suis cœnobiis, affatim in oppido religiosarum familiarum esse: minuendum potius illarum numerum, quàm augendum. Quid multa? Litem deferunt in Hispaniam ad regium consilium; quem senatum Indicum appellant, quia de causis Indicis cognoscit. Ille rem ita se habere, uti ab iis exponebatur, judicans, domus ædificationem abrumpi, templum occludi jubet. Faciebant nihilominus cum Societate privilegia Sedis Apostolicæ*, antistitis Mexicani & Proregis consensus: domus ipsa longius ab accusatorum cœnobiis aberat, & intra præscriptos lege terminos stabat. Appellata est Regis æquitas; sacri judices, ut in Ecclesiastica lite, postulati: producta & expensa, quæ in priori judicio aspecta vix fuerant, rationum momenta: causa denique Societati adjudicata est. Haud ita multo post Mexicano collegio additum est Seminarium, instituendæ nominatim juventuti Americana. Jam enim culturæ multo plus, quàm antehac, patiens erat tota natio, collectis certos in pagos, quæ olim erant sparsa & dissipata, mapalibus, & missis omnem in partem cultoribus animarum. Tepozotlana sedes hæcenus partim Hispanorum subsidiis, partim collegii Mexicani sumptibus fuerat sustentata. Indus nobilis fundum alendo Sociorum justo numero necessarium anno MDXCIV. assignavit, & collegium ritè est constitutum. Idem collegii jus ac nomen datum domicilio Patzquarenfi.

Regni Mexicani partem occidentalem, extremæ Californiæ oppositam, occupat Cinaloa. In eam anno MDXCI. aditus, sæpè antea tentatus, denique Evangelio apertus est per duos à Societate sacerdotes. Gens ipsa inter Americanas cum primis proba & modesta; naturæ quodam beneficio ad justitiam, lenitatem, & pudicitiam facta. Laboris in utroque sexu cura & patientia incredibilis. Colunt agros etiam feminæ. Viri unica sunt uxore contenti; exceptis quibusdam optimatibus; qui postquam intellexerunt vetitam à Christo multitudinem uxorum, eam

Partis V. Hist. Soc. Jesu Tom. II.

X x x

con-

I.
Mexicana Professori domus.
Collegia Tepozotlanum & Patzquarense.

* Constitutio
Gregorii XIII.
an. 1576. Salvatoris Domini
Nostri.

S. II.
CINALOA BX-
CULTA.

conjugem retinere non inviti, quam primum duxerant, ceteris repudiatis. Homines ita suae fortis ac vitae dominos existimabant, ut nullius Numinis potestati aut gubernationi subiecti essent; quamvis unum existere non ignorarent omnium effectorem Deum, qui res ceteras libertatis expertes, arbitrato suo regebat: hinc nulla ipsis, aut admodum obscura & parca religio. Humus, quasi bonitatem incolarum sentiret, fertilis & variarum frugum dives. Opulenti cum tenuioribus & egenis fortunas ultro communicant. Furti ne nomen quidem cognitum: nullus clavium & ferarum usus. Cum domo procedunt, velum appendunt foribus; hoc illis pro porta, & vestibus, est. Ut animus innocens, ita sermo: peccare, maledicere, atrociter per iram verba iactare, portentum immane ac piaculum. Parentes reverentiam magis & auctoritate, quam severitate, liberos in officio continent, Virgines consuetudinem & occursum virorum fugitant: nam pudorem ante nuptias maculasse inexpiabilem ignominiam censent. Circa annum MDLXII, religiosi quidam viri, assumptis praesidii causa militibus, Cinaloenses Christianis erudite praeceptis & moribus tentaverant. Sed militum intemperantiam, libidine, & crudelitate naturalis incolarum probitas graviter offensa tantum Christianae legis ac nominis odium conceperat, ut commercii facultas omnis inter illos & Hispanos abrupta pridem esset. Anno MDXCI, duo sacerdotes è nostris Martinus Peresius, & Gundisalvus Tapia, experiri constituerunt, num qua spes daretur efferatos animos leniendi. Ergo inermes, soli, munusculis tantum & Christianam comitate armati proceperunt. His armis victi sunt barbari, adeo ut paucis diebus per baptismum acquisita Christo amplius duo millia fuerint. Templum in urbibus, Cruces in compitis & collibus positae. Patres tam incredibili successu excitati *annuerunt* anno MDXCIII. *Sociis ut venirent, & adiuvarent*, Venere Alfonso de Santiago & Joannes Baptista de Velasco, ac felices praeda tantam copiam in retia compulerunt, ut *rumperetur rete eorum* *. Simul atque auditum erat sacerdotes aliquò adventare, ex oppidis longissime procurabant agmina divinas laudes concinentium. Fronde sternebantur via, erigebantur compositis ramalibus quasi triumphales arcus; festo plausu omnia perstrepebant. Invitatae sunt per nuncios & oratores ab indigenis finitimae nationes, ut concurrerent ad audiendum salutis verbum. Indictus ingens omnium neophytorum conventus ad urbem Sanctis Apostolis Philippo & Jacobo dedicatam. Quò cum innumerabilis multitudo confluxisset, natalis Christi dies celebratus est idoneo ad feriendos majestatem rerum sacrarum oculos apparatu. Quae postquam Hispaniae Nova Prorex cognovit, praeter copiosam templi suppellectilem, donavit etiam annum censum, quo Societati perpetua stabilisque sedes in Cinaloa maneret.

Evangelicis Mexici copiis supplementum ex Europa devexit annus MDXCIV. Socios triginta sex: qui mense Julio è Batico solventes portu, Novam Hispaniam ineunte Octobri tenuerunt; raro exemplo secundissimae navigationis. Pars sacri agminis in Novam Cantabriam, pars in longinquos terrarum ablegata tractus, gloriose militiae rudimenta posuit.

Ejus praemium ac rudem miles emeritus accepit P. Gundisalvus de Tapia, crudeli nece donatus ab ethnicis. Cinaloensem ille vineam, de qua paulo ante meminimus, insigni colebat studio, quae ceteros inter incolas, minime omnium feros, crudele monstrum alebat. Nomen barbaro Nacabeva. Olim Christianus, jam Fidei defector, non solum Christi cultores indignum in modum vexabat, sed populares etiam suos imbuebat odio sanctissimae religionis. Id cum intellexisset Michael Maldonatus, Hispanorum praefectus, improbum coercere statuit. Sapius admonitum frustra, & objurgatum, tandem caedi virgis & nudari comam jubet. Postquam id in primis apud barbaros & ignominiosum. Non tulit dedecus Nacabeva: proripit se amens in montes; cognatos & amicos convocat, humeros recentibus verberum vestigiis indecore notatos, attonsum foede caput ostendit. Orat per avitam gentis gloriam; per si quid ipsis carum uspiam & sanctum, ut ne facinus inultum patiantur: tollendum è medio sacerdotem patriis moribus inimicum; postremo delendam Hispano sanguine infamiam, non tam sibi, quam genti universae iniustam. His verbis accensos ducit ad tugurium, quò se se, post Christianam

* Luc. V.

S. III.
P. GUNDISALVUS
DE TAPIA PER-
REMPITUS A BAR-
BARIS.

nam doctrinam rudi explicatam turbæ, Gundisalvus receperat. Precantem deprehendunt, adventante jam nocte. Progressus Nacabeva, quasi salutandi causa, signum dat sicariis, quorum unus clavam ligneam ejus fronti tam graviter incussit, ut semianimem ad terram affixerit. Erexit se tamen, & Jesum inclamans, ad proximum facellum titubante gressu pervenit; vocibus intermortuis furiosos benignè compellans. Quos ut herere, viri clementia & pietate defixos, Nacabeva conspexit, increpitans ad absolvendum scelus urget. Caput igitur & brachium sinistrum amputant; spoliant corpus, & facello turgurisque direpto profugiunt. In tutum elapsi, caput & brachium abscissum imponunt prunis, ut impiam ferale cibo expleant famem. Sed neutrum ignis violare sustinuit: & canes, quibus deinde projectum est, rictus avidos inhibuerunt. Non deterriti prodigio sacrilegi cervicem infixam hastili circumferunt, sacerdotales amictus induunt per ludibrium, ac sacrum calicem, quo in divina re facienda utebatur, profanis epulis impii potores adhibent. Non tamen impunè. Quippe à duobus pueris, quos habebat secum Pater ad ministerium rei divinæ, moniti vicinorum pagorum neophyti, facto in sceleratorum casus agrosque impetu, stragem latè ac vastitatem intulerunt. At Hispani delatum cadaver in urbem proximam, à Sanctis Apostolis Philippo & Jacobo dictam, in Societatis æde sacra tumulo piè mandarunt, mox ad justam ultionem conversi, perduelles per avia montium juga investigant. Nacabeva diffidens Thevecis, contulit se ad Zuacquios. Illi minas Hispanorum & armaveriti barbarum noctu captum ipsis tradiderunt. Capite damnatus non levia pœnitentiæ Christianæ signa dedit, hoc agente suis apud Deum precibus, ut piè credere est, Gundisalvo Tapia, & illatam sibi necem ita vindicante. Redditi à Zuacquiis ipsius caput, Mexicano; brachium Legionensi collegio, illatum fuit.

Incidit Paris Gundisalvi fortunata mors in IV. vel III. Id. Quintiles, cum annos confecisset quatuor duntaxat ac triginta: quorum duodeviginti transegerat in Societate; decem in provincia Mexicana. Natus erat Legionè, loco nobili. Omnes ad Societatem dotes attulerat, quæ ad concionandum, docendum, gubernandum requiruntur: judicium sagax, perspicax ingenium, indolem suavissima conditam humanitate: memoriam adeo felicem, ut dierum quindecim spatio linguam Tarascam copiosè ornatè didicerit; nec plus temporis posuerit in Cicimecana penitus cognoscenda. Fidem catholicam propagavit illustravitque inter Meciocacanos, Cicimecos, Zacatecas, Cinaloenses; ac præsertim Acagaos. Erant illi feris non multum dissimiles, nulla societate aut legibus inter se juncti, sine certo lare, sine ullo colore humanitatis. Nulla carne vescebantur libentius quàm humana; nullo jucundius oblectabantur ludo, quam mutua internecone. Prohibant sæpè in aciem hinc atque inde familiarum principes, & pagorum præfecti: sequebatur sua quemque cohors, è confanguineis & affinibus constata. Vulneribus mutuis & nece ludebatur. Hanc barbariem primus ausus est tentare P. Gundisalvus, hanc armatus sola Cruce debellavit. Neque quidquam ferinas mentes perculit magis, quàm hominis unius inermis audacia, se in medios comiter at intrepidè inferentis. Ubi verò notum sibi ac vernaculum sermonem audiverunt, accedere propius, ponere feroces animos, & belluinos mores cum vitiis paulatim exuere cœperunt. Prædicandis concordie pacisque laudibus, extinxit Gundisalvus impiam sanguinis humani sitim; commendandis virtutibus, ebrietati & libidinibus portentosis notam turpitudinis inussit: docendo quid essent, ad quid nati factique, legem persuasit Christianam. Tetras sacrificiorum formas ac idola plus quingenta sustulit, plurimos è rupibus ac spelæis in æqua deduxit loca; & brevi quinque millia percipiendis sacramentis idonea reddidit. Nec minus universæ genti mortuus profuit quam vivus, magnâ post ejus obitum ad veram Fidem accessione factâ. Ipsi Theveci, à nomine Christiano profusus alieni, post ejus obitum aperuere tandem oculos, & popularia execrati scelera, præter omnium spem, cervicibus Evangelio subjecere: docueruntque vere illud affirmari, cruorem fuissem pro Christo Christianorum semen esse.

CINALOË finitima est Nova Cantabria, seu Nova Biscaia. Illuc anno MDXCIII. procurrens P. Martinus Pelæzus adeo satisfecit incolis, ut aliquos è

Xxxx 2

Socie-

2.

Ejus virtutes, & labores egregii.

S. IV.

SEDES ZACATECANA, GUADIANENSIS, & S. LUDOVICI à PACE.

Societate sacerdotes, oblata domo, petierint. Vifa est minimè negligenda spectata amplæ messis, quam vasta regio, moreque gentis non pessimi, faciebant. Placebat nonnullis ut eò transferretur Zacatecana statio, à triennio constituta. Sed perspecta ejus utilitas in adjuvandis metallicis, qui vicinis argenti fodinis frequentes operam navant, retinendam suavit; mittendosque in Novam Cantabrigiam colonos animarum: qui statim profecti, & urbem Guadianam excoluerunt, & ad circumjectos late populos penetrarunt.

Anno eodem MDXCIV, collocatum est pariter Societatis domicilium in oppido S. Ludovici à Pace. Ejus condendi occasio hæc fuit. Cicimeci, barbara gens in primis, & Hispano infesta nomini, nunquam cicurari posse videbantur. Inoleverant penitus apud illos fæda vitiorum monstra, ebrietas immanis, promiscua Venus, & sævitia. Ut quisque perditissimus erat, ita maximo habebatur in honore. Lex publicè nulla, nullus rector: sua cuique libido lex & vitæ norma. Hispanorum arma propulsabant armis non imparibus; vel sylvis & montibus inaccessis abditi eludebant. PP. Franciscus Zarfatus & Didacus Montefalvus, ille Mexico, hic Guatimala oriundus, atque adeo vernaculi moris peritiores ac feromonis, feroces animos hac arte fregunt. Quatuor adolescentes è Cicimecorum gente, in nostro Americanorum Seminario educatos, deducunt secum. His sequentibus, ac velut internunciis, juniores Cicimecos eliciunt ad colloquium; deinde viros ac seniores. Vitæ civilis pacataque commoda ostendunt; differunt etiam liberius de Christianis institutis: posse ipsos amicitiam cum Hispanis colere magno suo commodo, nullo incommodo ac detrimento; posse vitæ sempiternæ ac beatissimæ præmia, si pacem & concordiam foveant, facillimè consequi. Hac oratione capti assentiuntur, & in oppida Hispanis vicina pagosque commigrant. Patres oppidum præcipuum infederunt; cui propterea nomen S. Ludovici à pace impostum est. Statim instituta puerorum scholæ, & Seminarium grandioribus excolendis datum. Simile portenti est, quàm feliciter ac subito terra deserta prius, *in via & in aquosa* * in sanctum Dei domicilium mutata sit, in quo *virtus ejus & gloria videretur*. Inter ceteras porro exercitationes pietatis, illam, etsi minoris in speciem pompæ, non levioris tamen utilitatis institutam reperio, quæ *in via* puerorum parentes conciliati sunt, ut sabbatho itemque die Dominica, quispiam è puerorum grege superiorem ascenderet locum, & præclarum facinus è vitæ cuiuspiam sancti depromptum enarraret, atque ad virtutis usum aliquem accommodaret. Hæc narratio exemplorum è sacris historiis depromptorum, in Castella per idem tempus tanto cum fructu & voluptate audientium usurpabatur, ut justæ concionis instar esset. Nil mirum si juvat barbaros, quod cultissimas nationes delectat.

* Psal. 62.

S. V.

P. JOANNIS PLAZA
Z. E. & ALIORUM
ALIQNOT SOCIORUM
OBITU.

HUNC maximè morem ex Europa in Americam invexerat P. Joannes Plaza, quem ereptum sibi anno MDCII. collegium Mexicanum sedit. Gubernandis Sociis per annos complures præpositus, boni præsidis dotes in se luculenter expressas posteris ad imitandum reliquit. Huc potissimum spectabat, ut Institutum nostrum formam, qualis primum fuit à Sancto Fundatore descripta, sartam rectamque tueretur. In inspiciendis, cum provincias curæ suæ commissas lustrabat, collegiis, nova decreta vix condebat, id studens unum ut vigerent antiqua. Delinquentes emendare consueverat incusso, post erratum demonstratum, pudore ac dolore delicti, potius quàm irrogata publicè pœna, nisi res aliud suaderet. In monendo, aut reprehendendo, nullam vocem excidere sibi patiebatur asperiores aut qua reum facere minoris, & aspernari videretur. Aiebat illos qui secus faciunt, è iudicibus reos fieri, dum alios arguendo committunt cur ipsi merito ab aliis arguantur. Hanc in eo moderationem, & prudentem indulgentiam pariebatur cognitio sui, qua se omnibus deteriolem censebat. Nihil ei frequentius in ore quam Davidica vox illa: *Converte nos Deus salutaris noster, & avertet iram tuam à nobis* *. Virtutem aura populari, ut speculum halitu, insulcari existimans, oculos hominum, si quid rectè ageret, suffugiebat, ac propemodum suos. Ejus tamen virtus, quolibet objecto velo, perlucebat, tanto conspectior, quanto reconditior. Petrus Guerrerus Archiepiscopus Granatensis, vir pietatis

* Psal. 84.

ac probitate insignis, ex ejus arbitrio consilioque pendebat. Sollertia peculiari valebat ac dexteritate, ad varios spiritus, ut loquuntur qui de rebus divinis & animorum interiore statu differunt, discernendos; ac si quid in Hispania, cum ibi degeret, hujus generis accidebat arduum & inusitatum, ejus sententia exquirebatur: ut vel maximè patuit in Lusitana virgine, Deo dicata, quæ magnam admirabilis sanctitatis opinionem collegerat. Fucum introspectit Plaza, ejusque conjecturam funestus virginis exitus approbavit. Idem illi contigit in Nova Hispania, ubi Mexicanum civem omnes, tanquam hominem divinum, venerabantur. Agnovit indolem superbam observator sagax, & Crucis inimicam; nec ita multo post in manifesto scelere deprehensus histrio personatus, qualis esset palam fecit.

Omnino humilitas lapis Lydius est, quo probare hominum virtutem dubiam tuto licet. Aut enim aguntur spiritu Dei *, aut spiritu nefario. Dei Spiritus alitur humilitate, humilia respicit, humilibus dat gratiam; Tartareus eadem humilitate fugatur. Itaque illud maximè servant perfectionem virtutis, parcè laudent; duriter, & sæpè contemptim, tractent; eaque parvi apud se momenti esse significant, quæ fulgore suo præstringunt oculos, & admirationis plurimum in vulgus habent. Perrarò fallit hæc via. Neque alia S. Ignatii mens & ratio fuit, qui solidis virtutibus insistere suos iussit, & in victoria cupiditatum, sui que & rerum infimarum despicientia, summam sanctimoniam reponere. Neque aliam Plaza, Ignatii sedulus imitator, putabat esse causam cur de tam multis, qui vitæ spiritualis artem profitentur & nomen ambiunt, tam pauci rem consequantur, quam quod levi & ludicra secum ipsi pugna contenti, cupiditates suas haud unquam serio penitusque jugulent. E crucibus autem eas quæ imponuntur à Deo vel inferente vel permittente, præferebat illis quæ sponte suscipiuntur. Deum enim aiebat videre certius quæ pars animi nostri debilior, quænam remedii, & cujus, indigeat: tum in austeritate vitæ, & aliis quæ corpus macerant crucibus, ne delitescat voluntas nostra; ne gloriolæ sensus aliquis obrepat, merito verendum esse. Utrumque poenarum genus, tum earum quæ insiguntur velut extrinsecus, tum aliarum quæ ultro assumuntur, famulo suo largè ac liberaliter Deus obtulit. Vitam propè omnem morbis & laboriosissimis occupationibus exercitam duxit: senectutem per annos sexdecim, nempe usque ad ætatis quintum & septuagesimum, quo vivere desit, summis vexatam habuit articularum doloribus, ut sæpe motus omnis jaceret expers, & ab omni corporis parte tortus; quo in equuleo triennium totum perseveravit, animi & oris hilaritate suavissima: nullam interim à quadragenario aliisque jejuniis, nullam à consuetis sacerdotalis officii precibus, aut à variis carnis afflictationibus, vacationem admittens. Accesserat ad Societatem anno MDLIII. Romam ad comitia totius Ordinis ter profectus; Peruviam demum ac Novam Hispaniam, Visitatoris nomine ac potestate, lustravit. Cum verba faceret, enitebatur non tam dicere quæ sentiret, quam verè ac penitus sentire, quæ diceret; eaque opere ipso in se prius experiri, quam aliis eadem proponere. Quærenti nescio cui quomodo tempus rectè impenderet; respondit: Obediendo & orando. Alteri præcepta religiosæ ac perfectæ vitæ postulanti, hæc subjecit: Honorificè de omnibus existima. Inter multos pauca loquere. Quæ quis dicat agatve; boni consule; ne carpe, ne cavillare. Te, ut omnium servum, gere. Ad ferendam de rebus sententiam, nisi rogatus ac lentus ne accede. Quæ recta sunt & agenda nunquam differ in crastinum.

Accessit urbi Mexicanæ anno MDCIV, nostris adnitentibus, non leve ornamentum ac præsidium. Venerat ex Hispania sacrum agmen alumnorum S. Joannis à Deo, qui se totos curandis agris addicunt. Nullus patebat ipsis aditus in urbem, locus nullus ad solita caritatis officia liberè obeunda: jamque de reditu mæsti cogitabant, cum data fuit à Sociis opera ut in nosocomium accepti stabilem in amplissima civitate sedem nanciscerentur. Dum illi curandis maximè corporibus serviunt, incubuere Societatis homines in salutem animarum. Tria in Tepeguano tractu oppidula posuerunt, vocatis ad vitam communiter degendam barba-

3.
Suspecta virtus
quomodo probanda. Quænam optima crux.

* Rom. 8. Psalm.
112. Epist. Jac.

4.
Alumni S. Joannis à Deo Mexici domiciliū adipiscuntur cura & studio Societatis.

barbaris. Primum ex iis S. Jacobo dicatum est, in Patzquarenſi valle: alterum S. Ignatio, propè paludem, quam incolæ Magnam vocant: tertio fecere nomen *Cape*, idque incolebant grandiores natu indigenæ, belli & religionis apud Tepeguanos olim arbitri, & ab Hispanis diu formidati. Plurimum negotii fuit in iis à nefario dæmonum cultu abducendis. Piis conatibus obſtabat veterator ſenex, ſacerdos Orci nequiſſimus, veneficiis & ſcleribus infamis. Sed ille, cum reſtitutam ægroto per baptiſmum valetudinem vidiffet, quam artibus impiis & promiſſis reparare nequiverat, *credidit, admirans ſuper doctrina Domini* *.

* *Acton*. 13.

5.

Accolæ Magnæ Paludis, Acagæi, Xiximes, &c. Chriſtianis ſacris & moribus initiati.

Pervasiſt vicinas oras exempli fama, & ad Paludem Magnam, ubi noſtri ſacerdotes triplicem ſtationem obtinebant, venère cum ingenti comitatu legati à ſeptem oppidis, petitum Chriſtiana ſacra, & divinam adoptionem. Paludem hanc duodecim populi accolunt, optimæ indolis, proceri ac valentes. Comam promittunt muliebriter: utuntur arcu ſcitiffimè; cervos fugaces curſu aſſequuntur. Tanto avidius ſanctiſſimas religionis veræ carimonias amplexi ſunt, quanto ſtolidius avitas ineptasque coluerant. Locus erat illis ſacer priſca ſuperſtitione, inter ferarum luſtra, præruptas cautes, & nemoris denſi tenebras. Hic terræ ſpecies obverſabantur oculis intuentium, & belluarum immanes formæ, quarum aſpectu ſolo plurimi exanimati corruébant, eorumque offibus conſtrata humus horrebat. Huc ſubibant miſeri, ut infeſtum placarent dæmonem; & reſponſa publicis privatiſve calamitatibus peterent. Eundem in locum ſæpe inviti ac reſuſcitantibus pertrahebantur ab Erebi ſatellitibus, ac miſerabilem in modum aliquando maſtabantur: acciditque in oppido vicino, ubi ſacerdotes noſtri populam erudiebant, ut nocte intempeſta Indus raptaretur ab atris lemuriſus, cum horrendo ululatu. Accurrit, cognita re, tota civitas, & arreptis ſacibus ad infamem ſylvam, quò rapiebatur infelix victima, nemine qui traheret conſpecto, accelerans, toto corpore conſractum, & verberibus ac metu ſemianimum reperit. Ut paulum recreatus eſt, appellat Patres & opem implorat. Illi fiducia Numinis erectos cives parare Crucem è ligno magnam jubent; quam, indiſcã celebri ſupplicatione, deſigunt in eodem ipſo loco. Abacta proriſus inferna dæmonum viſ ſigno ſalutari, nec periculi quidquam deinceps aut formidinis inde fuit.

Non tam apertè regnabant Orci ſatellites in Topiana valle: minus erant infeſti corporibus, animis nihilo certè minus. Hæc vallis leucas ferme XL. patet in longitudinem, verſus Novam Gallæciam. Incolæ Acagæi. Statura illis commoda & habilis. Nudi fermè degunt; pendet ex umbilico tantum lacinia cervinæ pellicis. Ima doſſi cortex protegit, additâ interdum, quando elegantius ornari ſtudent, vulpis aut canis caudâ. Omnibus prælongi crines, & verſicolore tania intertexti: os variè picturatum; membra cetera unguine fetido ac ceromate delibuta. Sagittas habent ſilicibus acutis, & illitis veneno, præfixas. Clava lateri accingitur. Exculti jam inde ab anno MDXCIV. manſueſcere cœperant. Anno MDCIV. è rupibus & ſylvis deducti, caſas ac templa fabricarunt. Eorum amplius quinque millia baptiſmo luſtrata priſcos mores exuerunt, & quingenta ridiculorum Numinum, quæ ſibi quiſque fecerat, ſimulacra in ignem conſjecere. Tantus autem ardor exſtitit ſalutaris doctrinæ capeſſendæ, ut integros dies jejuni conſumerent in ſacris ædibus; donec eam omninò perdiſcerent. Idem ardor populos quosdam ac regulos remotiores impulit, ut cœleſtis doctrinæ magiſtros è Societate, poſtularent. Et quoniam illis per Sociorum paucitatem fieri ſatis non poterat, miſerunt viros è tota gente ſpectatos decem, qui præcepta legis Chriſtianæ rudimenta reportarent domum, & cum popularibus ſuis communicarent.

Anno MDCVII. Patres Didacus Sammaniagus, Andreas Ortizius, Emmanuel Ortega, & Hieronymus Villarnaſus, procul evagati ſunt ad Chanos, Gorgotochos, & Guiriguanos: quarum gentium feritatem, inſito ſylveſtribus animis Chriſto, miſcere docuerunt.

Interim vitæ minus actuoſæ, nec minus utilis, præmiſum accepit in Mexicana domo Societatis, P. Fernandus Suares à Concha. Ætatis annum agebat octogefimum, religioſæ pœnitentiæ quinquageſimum. Vocem hanc habebat familiarem, ad quam velut ad normam dirigebat omnia, quam cubiculi quoque oſtio

6.

Mors P. Fernandi Suaris.

ostio inscripserat: *Attende tibi, & doctrina* * In ejusdem cubiculi parietibus varias Crucis imagines depinxerat, ut id observaretur oculis, quod latebat in intimo pectore. De rebus divinis cum acriter & sæpè differeret, tùm vero de Servatoris cruciatibus tanto perorabat ardore, ut omnium animos mirè commoveret. Nec dubitabat aliquando spinis horrentem coronam imponere capiti, sanguineis guttis toto vultu depluentibus, ut hujus supplicii, quod nostra pertulit causa humanæ salutis vindex, imaginem in spectantium oculis altius animisque defigeret. Semel iterumque se quotidie flagris concidebat; rursus noctu, cum ad precandum surgeret. Ceterum deliciis cœlestibus, quibus Crucis asperitas fere ungitur, sic affluerebat, ut Xaverii Magni more exclamare cogeretur, *Satis est, Domine, satis est.*

DUM sic ille attendit sibi virtutibus ornando, & Mexicanæ civitati sacris concionibus erudiendâ, alii Societatis sacerdotes hæc vasta terrarum & inculta spatia percurrebant. Operæpretium ingens factum est in Ocotlanis, quæ natio plus quiddam humanitatis habet. Mendacium, furtum, & alia, quæ legi naturæ pugnant, vitia aut ignorat aut horret. Eunti ad ipsos sacerdoti longè obviam processerunt majores natu, eumque in paratam ædem sacram deduxere, ubi prima legis divinæ præcepta tradere statim aggressus est. Laborabant Vaimolani, Acaxeos & Tamafulani nefaria cum hoste generis humani familiaritate, cui se interdum devovebant diâo publicè sacramento. Erant certa quibus eum evocarent carmina, erant tenebricosi specus, in quibus ejus colloquio fruebantur. *Eripuit illos Deus de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum Filii dilectionis suæ* *. Pristinis erroribus flagitiisque liberati, tanto legis divinæ studio tenebantur, ut matres alta superarent flumina, parvulis capiti alligatis, ut eos sacro expiandos fonte sacerdoti offerrent. Magna infantum ejusmodi copia perennem in cœlo adepta est vitam, morte statim baptismum consecuta: magna etiam senum, qui ad longissimam vitæ metam progressi, hoc unum videbantur expectare, ut lineam ultimam felicitatis transilirent: Deo mores eorum rationi & naturæ legibus satis consentaneos, hoc postremo & summo beneficio quasi cumulante. P. Andreas Peretzius Quaqueorum oppida lustravit, ab iis invitatus ostentata, ut solent cum nomen dare Christo cupiunt, Cruce. Sexcentos ac septuaginta infantes paucis mensibus, Dei filios adoptione cœlesti fecit. Ad oppida Christianorum venerunt ultro Maia, vicina gens & inculta, positis armis, quod nunquam antea; & pacem Christumque petierunt. Aquimi pariter, & Guacamaei, bellatores acerrimi, fœdus cum Hispanis composuere, sæpè hæcenus frustra optatum. In variis Missionibus, quas anno MDCVIII. amplius quadraginta Socii peregerunt, bellum utile ac prosperum barbaris superstitionibus illatum est. Hæc præsertim debellata, qua solebant recens editos in lucem, grassante luctu, fetus, tanquam piaculares communis exitii victimas, interficere. Vitiatus ac putri camporum uligine pestilentiam afflaverat variis locis, atque ipsi Mexicanæ civitati, quæ præsentem Beatissimæ Virginis opem in tanto periculo experta, debitas parronæ potentissimæ grates persolvit publica supplicatione. Addidit peculiare munus ad Lauretanâ, quod in Italiam delecti Patres pertulerunt: sanè haudquaquam comparandum magnificis Regum ac Principum donariis, quæ in hæc sacra & celebri visuntur æde, si materiam spectes; nihilominus dignum, propter operis formam, atque adeo propter tantam locorum intercapedinem, quod illustri acervo eximatur. Imago Beatissimæ Virginis erat, non penicillo, non acu, picta; sed ex avium vermicoloribus confecta plumis, industria mirabili, opus multarum manuum & dierum.

Hanc civitatis pietatem erga Deiparam maximo sibi esse solatio testatus est in collegio Mexicano moriens anno sequenti * P. Petrus Sancius, Toletanus. Mexicum è collegio Complutensi, quod moderabatur, missus à S. Francisco Borghia fuerat, Mexicanæ provinciæ fundamenta positurus. Scholas ibi Societatis aperuit: tria erexit Seminaria, collegia multis in locis collocavit. Proregi ac sacris Fidei quæstoribus ob prudentiam, & consilia certa, carus. Totis viginti quinque annis dixit ad populum post meridiem Dominicis diebus ac festis. Corpus

* I. Timos. 4.

S. VI.
VARIÆ MISSIO-
NES OBITÆ CUM
FRUCTU.

* Ad Colof. I.

7.
P. Petri Sancii
obitus.

*1609. ætat. 83.

pus quotidie flagellis malè accipiebat; semper abstemius, nisi morbi necessitas aliter cogeret. Divina contemplationi sic assueverat, ut ne somnus quidem illum profus abrumpere videretur. Angelum custodem suum, consiliorum omnium interpretem & conscium adhibebat. Morientem Prorex invisit: mortuum populus omnis lætitia, propter opinionem virtutis; vero stetu, propter caritatem, qua vivum complectebatur, cohonestavit. Illius curis ac vigilantia acceptum, haud injuria Societas refert quidquid postea bonæ frugis Mexicanus ager tulit: nec sine Numine vocatus in Societatem videtur, ut campum hunc aliquando confereret. Philosophiam docebat in academia Complutensi, in qua rectoris munus paulo ante gesserat, cum allatas ex Indiis nostrorum litteras lectitantem subiit pudor vitæ, ut aiebat, in Europæis commodis otiosa ac prope inutilis. Ea cogitanti stimulos acres divina manus subdidit: vocem etiam audire visus est minimè obscuram, qua vocabatur ad Societatem Jesu. Paruit, & collegii rectore convento, rebusque cum eo compositis, auditores suos in academia gymnasio certiores de suscepto consilio palam fecit. His catervatim sequentibus pergit in collegium, ad pedes rectoris advolvitur, utque in Christi familiam cooptetur, perit. Admissus * prosequentium adolescentum turbam sentem stens dimisit. Inde animo supra mortales curas erecto, comparata virtutum copia, parem se divinis consiliis & Orbi novo præstitit.

* Anno 1588.

Temperare sibi non poterat quia plurimorum in Europa theologorum segnitiam deploraret, qui talenta divinitus accepta veluti in sudario reposita, ut Evangelicus ille servus; cum negotiari tam utiliter in America possent, & suo Christianique lucro multarum salutem animarum apponere. Mirari sanè licuit anno MDCIX. quantam pauci sacerdotes ubertatem sacrarum frugum & copiam perceperint, in Cinaloa præsertim, quamvis ipsa non latissimè pateat. Adulti ad duo millia (nam infantes non numeramus) divinæ adoptionis decus sunt consecuti. Juvabat cernere diurnos nocturnosque non puerorum modo cœtus, sed virorum, doctrinam salutarem inter se se volutantium, quo altius animis infideret, eandemque obrudentium imperitioribus. Ardorem hunc discendi Superis cordi fuisse declaravit mors Æthiopis, qui nihil insigere cerebro male pertinaci potuerat, præter particulam orationis Dominicæ. Monitus in somnis (senem humana specie augustiorem audire visus erat) ut quamprimum animam purgaret offerendam Deo post triduum, & cœlestibus choris inferendam; non conquievit donec salutaris latic ablueretur, quo perfusus excessit. Respondebat Neophytorum pietati caritas Patrum, cumque anno MDCX. quibusdam in locis agri Mexicani laboratum esset annonæ magna difficultate, domesticam suppellectilem, consumptis ceteris subsidiis, ad sublevandam pauperum inopiam venderunt. Ex Indis, quos in Missionè Sanctæ Crucis fames extinxit, nullus decessit sine baptismo, præter unum negligentem senem.

Dammum hoc aliorum senum fortunata mors compensavit, manifesto nutu divinæ providentiæ. Sacerdoti enim præter ethnicorum pagum eunti, & jam succincto ad discessum, repentinus imber moram injecit. Dum opperitur sudam tempestatem, monetur de sene centum annos nato, animam agente, quem pro tempore edoctum baptismo expiavit. Anus isto non junior advenerat ex agro procul, ut nepotem puerum ægrotantem inviseret. Senio ac via penitus elanguit, & eo usque duntaxat superstes fuit, dum informatam necessariis doctrinæ Christianæ rudimentis, senium veteris hominis in *lavacro regenerationis* deponeret. Alius cœlesti quadam specie secundum quietem oblata perductus est ad Fidem. Videbat coruscantem radiis & auro sedem, ac sibi destinatum quidem esse audiverat, non tamen ante possidendam, quàm à sacerdote jam jam venturo mundaretur. Sub hæc morbo & annis confectus jacuit aliquandiu, & jam illatus erat tumulo (vivos enim adhuc & spirantes terræ infodiunt) cum Pater accessit: inquit pro more de infirmis & moribundis: de sene accipit; educi tumulo jubet; ac cibo recreatum interrogat num Christianus mori velit. Nihil se malle responderet. Mox de peccatis vitæ superioris admonitus, ut ea detestaretur: Neminem, inquit, unquam dicto factove, ac ne voluntate quidem, offendi: nullius rem ullam uxoremve

con-

concupivi: nunquam intemperantius cibo vel poculis indulgi. Hæc & alia id genus multa profitentem sacerdos baptismo impertit. Nec diu distulit senex optimus paratum in cœlo solum occupare. Huic mutata in meliorem vita fuit baptismi beneficio, aliis restituta valetudo, perfanati morbi, depulsa pericula. Itaque ad hunc veluti bonorum omnium fontem Indi cupidè convolabant, eoque se dignos ut præstarent, Numinum simulacra aut aquis aut flammis ultrò dabant.

Paulo difficilius & serius idola sua, & arma Hispanis inimica projecerunt Xiximes, Cinaloensibus finitimi. Non hominibus tantum, sed ipsi etiam humanitati ac pietati bellum indixisse olim videbantur. Carnibus humanis se ingurgitabant; ornabant sua mapalia cæforum ossibus, & exuviis: foribus ipsa præfigebant capita: erutos vero capitibus oculos inferebant acutis arborum ramis. Hæc læti spectabant poma. Humus omnis tabo madebat ac sanguine. Anno MDCX. ferinos exosi ritus, humanis demum cœperunt moribus vivere: imò divinis, *natura per baptismum divina consortes* * facti. Merito credi potest gentem à Christianis institutis adeò averfam, ad ea subito conversam fuisse patrocinio S. Ignatii, cui delatos à Sede Apostolica cœlitum honores, ante hunc annum MDCX. auditum in Mexico nondum fuerat. Beatum nomen in Sanctorum denique relatum fastos, ab indigenis advenisque certatim ornatum & invocatum est: nec sua pietati merces abfuit. Statim edita propulsandis periculis, sanandis corporibus, morbisque curandis illustria per hunc Novum, quàm latè paret, Orbem miracula*; illustriora etiam perfanandis animis, & à vitio ac superstitione revocandis. Itaque majoribus in dies incrementis aucta Religio longè latèque se diffudit tum in Septentrionali America, tum etiam in Australi.

* II. Petr. 1.

* Vide infra. n. 17

Hæc in sex præcipuas partes vulgò tribuitur. Prima isthmo proxima qui utramque jungit Americam, vocatur Terra Firma, quia variis insulis per vicina sparsis littora, opponitur. Ab ea si desectas in occasum, occurrit secundùm littoralem oram Perua: infra quam Chilensè regnum maritimam item oram occupat, longo & angusto tractu à septentrione in meridiem fuscum. Inde America tenuatur in acumen, cujus pars maxima regio Magellanica dicitur. Supra Magellanicam in medias terras versus septentrionem & orientem solem longè prorexit. Brasiliae suus & peculiaris ad calcem hujus Libri locus erit. Ceteras partes, quæ sunt Hispanæ ditionis, ita persequemur ut de Perua, sive Peruvia, primò, tum de reliquis dicamus.

PERUAM dira lues anno MDLXXXIX. vastaverat. Excepit pestem sterilitas; fertilitatem famem, sitis & aquæ dulcis penuria: eo graviora in his regionibus mala, quòd non modo vites, sed fontes ac perennes rivus illis ferè negavit natura, vini & aquæ inopiam auro, quo circumfluunt, benè pensatam rata. Vicem annium & puteorum præstant lacunæ pluviali aquâ refertæ, quæ per hoc tempus exaruerant, æstuoso & sicco cœlo imbres terris invidente. Itaque radicibus vulsis gens coacta erat solari miseram famem, & sitim restinguere lutulento potu, vel expresso ex herbis amaro liquore & insalubri: quibus alimentis non tam producebatur infelix vita, quàm certa mors differebatur. Pater Dionysius Velasques, in vicinis latè pagos excurrere solitus ex oppido Sanctæ Crucis de Monte, non parùm habuit negotii anno MDXCIII. ut neophytos confirmaret; quos domestici præstigiatores terruerant, affirmantes à Diis patriis, Christianâ religione susceptâ desertis neglectisque, immisam famem ac siccitatem. Simul ipsi superstitionis ritibus imbres elicere, ac cœlo pertinaci vim afferre conabantur: non secus atque olim vesani propheta, ut ignem cremandæ victimæ impetrarent, *invocabant nomen Baal de mane usque ad meridiem* *: & non erat vox, nec qui responderet. Id cum cerneret Velasques, populum jussit instare precibus: nec preces frustratus est Deus: *cœli contenebrati sunt, & nubes & ventus; & facta est pluvia grandis*: auditique sunt illi ipsi circulatorum in eadem, atque olim Hebræi, voces erumpere: *Dominus ipse est Deus*.

S. VII.
RES IN PERUA
GESTÆ.

* III. Reg. cap. 18.

Idem Velasques in pagum aliquando nocte intempesta succedens, viâ lassus & fame, cum nihil dapis repertum ibi esset, miratus est mane allatas è longinquo

annis viginti Societas hujus septi & suburbii gerebat curam, & Archiepiscopi benevolentia singulari patrocinioque fruebatur, cum aliquid offensionis exortum circa annum MDXC. confensionem hanc paulisper discidit. Causas rei totius, atque adeo exitum, quem animadverti à quatuor, quos quidem legerim, vitæ Beati Turibii scriptoribus vel omisum de industria, vel incuria præteritum, breviter hic persequar.

Nihil habuerat antiquius præful integerrimus, quam ut, è præscripto Concilii Tridentini, Seminarium institueret, in quo educarentur adolescentes, decus olim ac præsidium Ecclesiæ Limanæ futuri. Probatum in aula Romana pariter & Hispana consilium. Turibius è bonis Ecclesiasticis necessarios ad extruendum, alendumque Seminarium fructus sumpfit. Ecce autem Perua prorex Garzias Hurtadus de Mendoza, Marchio Cagnetius, alumnum Seminarii nominationem ad se pertinere pugnat, & regia obtendit jura. Obstiter antistes, domum Ecclesiasticam pecunia conditam fuisse docuit, decreta Synodi Tridentina, Regis etiam edicta fortiter ac sanctè opposuit; causamque, ipso rege adjudicante, vicit. Prorex victum se dolens, & nocendi causas quaritans, insignia gentilitia præfulis, in Seminarii valvis proposita, deturbari jussit, ac regia præfigi. Ea repone tamen coactus exarserat graves in iras, & alias ex aliis lites ferebat, Archiepiscopo victricem ubique patientiam & æquitatem objiciente. Degebat in Limano collegio Proregis germanus frater, è nostra Societate, Pater Ferdinandus Mendoza; vir à turbulentis consiliis & aulicis negotiis, adeo remotus, ut à Generali Præposito Societatis petierit veniam Limã discedendi longè in interiorum Americam, ubi procul à fratre in barbarorum salutem liberius incumbere. Hic tamen Proregem in Archiepiscopum concitare, & funestos alere ignes dicebatur. Præfulis hoc rumore accensi benevolentia erga Societatem paulum refrixit. Ut rumori fidem adhiberet, ac severitatis etiam Ecclesiasticæ aculeos in Patres exereret, fecit nova contentio inter ipsum & Proregem orta. Limani quidam piscatores pagum suburbanum incolebant. Sancti Lazari nomen loco erat. Ibi ædicula, & administer ædiculæ sacerdos ab Archiepiscopo impositus. Piscatores postea, relicto pago, transferant ad suburbium, sive septum Sancti Jacobi; & sacerdote, cujus curæ suberant, interim dum Turibius obibat suam diæcesim, mortuo, Prorex illorum curam ad Patres Societatis, qui suburbium S. Jacobi jam pridem administrabant, transtulerat. Reversus præful sui juris esse contendit ut sacerdotem iis piscatoribus præficeret. Negavit Prorex, ob eam causam, quod non jam discreti loco forent, sed conjuncti, atque adeo illos iidem, quibus alios hujus suburbii incolas, magistris uti & sacerdotibus æquum esset. Instabat nihilominus antistes, & sacram ædem, cui præficeret parochum, excitari jusserat. Edificationem inchoatam Prorex inhibuit. Præful Patribus Societatis, qui suburbium S. Jacobi obtinebant, omni sacrorum interdixit administrationem; alios, qui debebant in urbe, concessis antea facultatibus privavit.

Hæc audita Romæ Aquavivam magno mæore affecerunt. Scripsit ad Proregem * confidere se, brevi componendam ipsius prudentia controversiam; nec dubitavit affirmare, sibi futurum fuisse jucundius, si Socii ad evitandas lites præfecturam parœciæ S. Jacobi deseruissent. In iis vero, quas dedit ad præpositum provinciam P. Atienzam litteris: *Hæc me consolatio, ait, sustentat quod nostri intra fines officii reverenter se modestèque tenuerint, & prorsus ut ita pergant cupio, ne quis merito suspicetur velle nos cum Prorege Archiepiscopum committere. Optassem equidem jure qualicumque in parœciam nostro licuisset cedere: sed cum id veteri Prorege, resque jam non sit integra, imo de illa Rex Catholicus, ac Summus Pontifex scripserit, deserui causa non potest.* Ipsum vero Archiepiscopum idem Aquaviva, sibi & amicitia & officiis non levibus conjunctissimum, rogavit ut primam Patribus redonare benevolentiam ne gravaretur, quam hostis animarum infringere, non sine illarum certissimo detrimento, tentaret. Perlatæ sunt ad Turibium in eandem ferè sententiam Regis litteræ, quibus eum ulterius quidquam moliri vetabat. Hortatus etiam illum graviter est Summus Pontifex ut pristinam cum Patribus Societatis concordiam foveret. Turibius cognita Summi

S.VIII.

LIMANUS ARCHIEPISCOPUS SOCIETATI PLACATUS.

Pontificis voluntate, nihil moræ interposuit quin obtemperaret. Itaque non modo solitam cum Societate amicitiam redintegravit, eique præfecturam parocia, de qua lis erat, concessit anno MDXCIII. verum etiam cum Prorege in gratiam rediit. Sancti facillè placabiles iras gerunt, imò nonnihil sui juris paci refarciendæ vel conservandæ libenter condonant.

Repararam hac ratione concordiam Societas constantissimè coluit, neque concitatis postmodum à Prorege altercationibus ullo pacto se implicuit: imò studuit alendæ paci ac tranquillitati, ubicumque fas fuit, ut eodem anno MDXCIII. intellectum est. Quitum, sive Fanum S. Francisci Quitensis, millibus passuum fere positum civibus. Ab iis conscripti milites, obsessæ domus senatorum, cædes & lapidationes factæ: donec operâ Sociorum, concionibus, prece & obtestatione multâ, mitigati sunt animi, & affectis supplicio præcipuis mali auctoris, impetrata civitati venia. Egregiam hoc in negotio nostri navarunt operam, & oppidi Quitensis præfectus Proregi significavit nihil ab iis fuisse prætermisum, ad pacem civitati redonandam, & ab iisdem gravissima pericula eam ob rem exhausta. Quo nomine Rex Catholicus Provinciali Peruvæ gratias egit.

Tumultus etiam ac discordiæ nonnihil exortum est, verum contra Societatem duntaxat nostram, in urbe Chuquisaca, quæ limitem Peruvæ Australis attingit, non procul ab argenti fodinis Potosinis, unde etiam Argyropolis, sive Argentea, & Plata, nuncupatur; Archiepiscopi sede, Canonicorum collegio, & regio senatu inclyta. Societatis homines ab ea postulati concitatam de se expectationem, Deo adjuvante, sustinuerant; præsertim cum recentes à concione, ac sudore disfluentes, pergerent in nosocomium, ibique lati ac alacres infirma obirent ministeria. Eos ut apud se diutius retineret civitas, stabilem Societati domum ponere decrevit. Erant in oppido cœnobitæ complures, & alii quidam parum nobis amici. Omnes conjunctis viribus negotium disturbare conati sunt: eoque progressus est furor, ut ossa viri nobilis ab annis octodecim sepulci eruta sint per seditiosos, hanc ob causam, quia ejus filius partes Societatis tuebatur. En quò viros etiam pios livor malus perducit! Fregit Sociorum patientia invidiam, & collegium est inchoatum MDXCIII.

BARBARORUM furorem non ita facillè compefcuit P. Antonius Lopes, qui è Limano collegio digressus ad finitimos pagos, non ita multo post levi tentans morbo, repente exanimis concidit. Ægotantem convenerant amici quidam è vicinia; mortuum invenerunt. Cadaver manans odore suavissimo repertum est. Id vitæ hominis integerrimæ multi assignabant; complures morti, quam in conspectu suo pretiosam ostendere Dominus hoc argumento voluisset; quippe maturam veneno ab impiis & facinorosis oblato, dum ebrietatem illorum ac vitia reprehendebat. Hoc enim postea rescitum certius est, Christiani hominis testimonio, affirmantis ita censere indigenas, & illis hoc nomine venerationi Patrem esse. Rem totam fusus litteris consignavit P. Antonius Pardus, qui anno abhinc tertio in eundem, ubi P. Lopes obierat, locum profectus, omnia singillatim, uti gesta fuerant, comperit. Annum agebat alterum à quinquagesimo: in Societate duos ac triginta vixerat. Summam animi demissionem conjunxerat cum insigni doctrina prudentiaque; nec minori flagrabat cupiditate salutis animarum, quibus ut prodesse possit, provinciam Evangelii barbaris prædicandi summo opere à moderatoribus suis flagitaverat.

Non clam & per insidias, sed luce palam à barbaris interfectus est P. Michael de Urrea. Cum varias Peruvæ partes utiliter peragrasset, expevit Missionem ad Ciucos. Illorum regio montium nativo cingitur vallo, quorum angustia, nisi æstate adulta, perque dies paucos, non patent, quando flumina, quæ valles mæandro multiplici persuunt, æstu imminuta pervium vadum præbent. His montibus & angustiis muniti omnem hæcenus Hispanis & Religioni aditum negaverant. Gentem cæteroqui docilem, & meliori sorte dignam miseratus Urrea processit Camatam, oppidum Hispanorum Ciucis finitimum. Ecce autem legati à Ciucorum regulo venire ad Hispanos, & præcones Evangelii petie-

9.

Collegiū Chu-
quisacense, seu
Platense.

§. IX.

PRETIOSA MORS
ALIQVOT SOCIO-
RUM.

* An. 1596. 23.
Jul.

10.

P. Antonius Lo-
pes veneno à
barbaris extin-
ctus.

11.

P. Michael de
Urrea cæsus ab
iisdem.

petierunt. Oblatam divinitus occasionem arripuit Urrea, & his ducibus viam carpit per horridas rupes, saltus invios, sinuosos annuum flexus, quorum unum plus centies biduo tranavit, pectore duntaxat aquis ut plurimum exstans. Optatam demum tellurem attingit, ac positus genibus deosculatus est, gratiis Numini persolutis. Deducitur à legatis ad regulum, & ab eo peramanter exceptus nullam exequendi, cujus gratia venerat, negotii, hoc est explicandæ legis divinæ moram fecit. Convénit populus frequens ad cœlestem doctrinam audiendam. Omnes summam, pueri æquè ac viri, ad cognoscenda quæ docebantur, & memoriæ mandanda, diligentiam attulerunt. His compertis vicini Principes (Casquios vocant) Europæum doctorem invitarunt. Ivit alacer, & paratis ac sitientibus animis deposuit Evangelicam sementem: quam ut perduceret ad maturitatem, reliquum ibi annum MDXCVI. & sequentis partem optimam exegit.

Exitus tam latis principiis non respondit. Populi pars major, ferox & in vitiis erroribusque obfirmata, dimoveri ab illis nulla ratione poterat. Itaque cum dejecisset Urrea simulacrum nescio cujus volucris, quam pro Numine gens colebat, gravissimum vitæ discrimen adiit. Idem crebrum ac difficile certamen cum veneficis & hariolis suscepit; qui, cum detrahi suis præstigiis fidem auctoritatemque cernerent, in omnem ejus perdendi occasionem imminabant. Rogatus ut dynastæ filium febri laborantem inviseret, ac si quid posset, afferret opis, frigidam saccharo temperatam æstuanti juveni porrexit: sed morbus, medentium incertitia ingravescens medicinæ locum reliquit nullum; ac paucis diebus ager extinctus est. Conclamant harioli toxicum puero propinatum, & in invisit sacerdotis perniciem duos extincti adolescentis fratres concitant. Illi nihil suspicantem adoriuntur ex improviso, clavas ligneas illidunt capiti, & humi sternunt seminecem, ac salutaria JESU & MARIE nomina iterantem. Haud multo post, percussoribus veniam à Superis postulans, exspiravit, V. Kalend. Septemb. anni MDXCVII. Impios ultio divina confestim insecta est. Comestantes ac diem festum per temulentiam agentes leonum agmen invasit. Laniatis quam plurimis; pauci elapsi, lepris turpibus & scabie omnes ad unum absumpti sunt. His permoti quidam Casquii, quibus veritatis & Fidei lumen Urrea ostenderat, mandaverunt humo corpus; ac tumulum, ut ab eo edocti fuerant, ritu Christiano composuerunt. Beatos artus P. Rodericus Cabredus, provinciæ Peruanae præpositus, Camatæ sepeliendos curavit, unde postea in Pacense collegium delati, & ante majus altare conditi sunt. Oriundus erat P. Michael Urrea Fontibus, oppido Toletanae dioceseos. Obedientia, humilitas, rerum infimarum ac sui despicentia gradus illi totidem ad mortis fortunatæ gloriam exstiterant.

Pia similiter, licet incruenta, morte functus est anno sequenti P. Alfonsus Barfana, Cuski, Kalendis Januar. anno ætatis LXX. Societatis initæ XL. In eam acceptus fuerat anno MDLXV. hortante illo celebri Christianæ vitæ ac perfectionis magistro Joanne Avila, cujus in disciplinam se tradiderat. Post aliquot annos habendis in Hispania sacris concionibus traductos, missus est à S. Francisco Borgia Præposito Societatis, in Orbem alterum anno MDLXIX. ubi Australis Americae partem concursavit annis viginti, veritatis evangelicæ lucem ubique diffundens; neque indigenas tantum Indos, verum etiam Hispanos advenas instruens doctrina salutis. Undecim callebat linguas gentium variarum, quarum sermonem lepore tanto usurpabat, ut linguarum dono præditum divinitus facillè crederes. Cum verba de rebus divinis faceret, multum utebatur Divi Pauli epistolis, quas omnes memoriæ commendaverat. Neque illum aliter Peruanis, quàm Apostolum vocitabant. Primus è Societate Cuscum ingressus, ultimo Peruæ Regi Christiana tradidit sacra, & piè morienti adfuit. E Peruæ delapsus in Tucumaniam viginti quinque millia barbarorum vitalibus aquis expiavit, ac ferme totidem in vicina Paraquaria. Indorum puerulos, jam gravior annis & labore fractus, docebat elementa litterarum & Fidei. Adeo nihil humile videtur Apostolicis viris, quod pertineat ad salutem animarum! Sæpe illum Angli boni traduntur ab uno loco ad alterum disjunctissimum, brevissimo tempore transfuisse: sæpe ab hominum, sæpe à dæmonum, insidiis liberasse.

Nullam

I 2.
Obitus P. Alfonsi Barfana, & eximie virtutes.

Vide P. N. J. de Techo lib. I. c. XI.

Nullam inter mittebat noctem, quin abrupto somno, surgeret ad orandum, quam illi consuetudinem dici vix potest quot machinis, quot scitis terroribus, eripere per annos ipsos duodecim peruelles Angeli conati sint: quorum curas omnes & consilia in eo verti S. Nilus testatur, ut ab orando nos avocent, aut orantes interturbent: Ne post obitum quidem barbaræ gentis fuit immemor, quam vivus tanto labore coluerat. Videndum se multis præbuit, ut eos admoneret, hortaretur ad virtutem, à vitio deterreret. Ea porro visa non fuisse commentitia, nec falsas, quæ interdum etiam vigilantibus illudunt, species, detestata palam flagitia, depositæ superstitiones, mutati constanter mores docuerunt. Pietas tanti viri manu fata quàm altis in Perua radices egisset documento esse Limanum collegium vel unum potest, in quo præter litterarias exercitationes, ut in celeberrimis Europæ academiis peragi solitas, sex amplissimæ lectissimæque sodalitates formandis ad virtutem civibus erant instituta. In his principem obtinebat locum ea quæ sacerdotes complectebatur, plerisque canonicos, doctores, & parochos civitatis. Ita divisa inter illos erat hebdomada, ut singulis diebus in xenodochium convenirent decem, ut minimum; ibique aperto capite cibos corporibus ministrarent, deinde proprias animis dapes apponerent. Sua quoque mancipiis & Æthiopicis erant sodalitia, ubi mores pristinos exiebant sylvestres animæ, & imitæ Christo, tanquam arbori bonæ, maturas virtutum omnium fruges efferebant. In iis admirari licebat verbi divini famem: ad quinque millia in templum vidisses concurrere, ut sacerdoti concionanti darent operam: nec minor ad pœnas de peccatis sumendas, etiam publicè, alacritas. Usitatum erat voluntaria verbera suscipere palam ante aras; adeo ut plagarum fridore, suspiriis, & gemitibus, templum omne personaret.

13.
P. Michael Pastor animam dat pro ovibus suis.

Quæ cura propagandæ & fovendæ pietatis nostros exercebat Limæ, eadem vigeat in aliis Peruæ partibus. Julienes vexavit atrox pestilentia anno MDCIII. Nulla periculi aut laboris facies Socios deterruit quominus animis pariter & corporibus in calamitate publica succurrerent; nam parochorum ibi munia quantum in locis obibant. Horum unus, P. Michael Pastor, boni pastoris omnes numeros implevit, animamque pro suis ovibus posuit. Natale illi solum Hispania; ætas annorum triginta sex; Americana commoratio, annorum septem: labor præcipuus, præter communes animarum pastoribus occupationes, exstitit in componendis Indica lingua libris, quorum sex tomos reliquit, magno gentis emolumento: virtus vero peculiaris, suavissima quædam caritas, qua & barbaros diligebat, & ab iis vicissim diligebatur usque eo, ut publico luctu funus ejus profecti sint; clamoresque ac singultus in templo & urbe tota fuerint exauditi, cum ei iusta solverentur. Ipse, dum viveret, profiteri cum Apostolo solebat, *Superabundo gaudio in omni tribulatione nostra* *. Cum enim humanis omnibus careret commodis, cœlestibus gaudiis circumfluebat: quod ceteris, qui versabantur in hac barbaria, Patribus usvenire percrebuerat sic, ut ea sedes lætitiæ domicilium à nostris vulgo diceretur. Hoc illud nimirum est, quod idem Paulus ait: *Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita & per Christum abundat consolatio nostra* *. Quam facillè ac dulce est hac mercede portare pondus diei & æstus! Quid erit autem cum vocabuntur operarii * labore perfuncti post exactam diem, & merces illis plenissima rependetur?

* II. Cor. 7.

* II. Cor. 4.

* *Voca operarios & redde illis mercedem.*
Matth. 20.

14.
Socii LVI. in Peruam appulsi P. Petri Ochoæ virtus memorabilis. Indorum pietas.

Hac mercede, his laboribus incitati Socii sex & quinquaginta Peruam anno MDCIV. subierunt. In hunc numerum venturus erat P. Petrus Ochoa, si per valetudinem licuisset. Nec tamen debita laude fraudandus est, siquidem operi bono pretium non tam ipsum opus, quàm voluntas bona ponit. Neque inferorem ceteris futurum fuisse præclara hominis virtus facile persuadet, quam ex uno ejus facto intelligere licet. Cum enim in Orbem ultimum proficisceretur, iterque præter natale solum haberet, adduci nunquam potuit ut matrem inviseret, quamvis hæc ei potestas per moderatores ultrò fuisset facta. Erat eximius S. Ignatii cultor, quem in supremo appellans morbo, & cum generis humani hoste acriter decertans, vidisse fertur vires & arma suggerentem. Per opportunus in Peruam hic nostrorum adventus fuit, ad colligendos fructus, quos matura messis offerrebat.

ferebat. Singulos enumerare longum est. Populi Christiani mores plerisque in locis adeo mutatos fuisse constat, ut integræ civitates alias quodammodo se esse mirarentur & gauderent. Barbarorum verò contaminatos vitiorum sordibus animos ita repurgatos, ut *quasi modo geniti infantes, rationabiles, sine dolo*, cœlestis vitæ doctrinæque *lac concupiscerent* *. Uni cuiquam illorum dux & stimulus ad pietatem existit pietatis ipse ac virtutum hostis dæmon. Illo scelere magistro pridem & amico utebatur Indus: illum intuebatur humana indutum specie, & comitem lateri semper affixum, quocumque pergeret, habebat. Euntibus in oppidum Juliense Crux ante portam erecta in via militari apparuit. Ad salutaris ligni aspectum fremere Tartareus comes; Indum hortari ne propius accederet; cumque ille pergeret nihilominus, conqueri ac lamentari quod veteris amicitia totque beneficiorum oblitus desereret patronum & hospitem. Barbarus vim divinæ Crucis admirans, tanto alacrius iter institutum tenet, ac festinat in oppidum. Enimvero improbus comes, quis esset dissimulare præterea non potuit. Minis atrocibus frustra jaçtatis, negat se illum posse ingredi, ubi tot reperiantur precatores, tot ligni cultores. Qua confessione Indus vehementer obstupescens, Christiana suscepit sacra: occurstantemque procul ac minitantem Tartareum tenebrionem, formato rite Crucis signo, & invocato JESU sanctissimo nomine deinceps abegit. Hoc divinum nomen Juliensibus mirè infixum animo hærebat: illo insignita sodalitas à sexcentis Indis frequentabatur. Kalendas Januarias, quo die impostum puero Deo nomen est, præcipua colebant pietate. Cœlesti convivio pasti procedebant omnes in forum; ubi collectos pauperes solennibus epulis accipiebant. Ad hunc vero diem comparabant se se incredibili studio: alii hebdomadam integram ducebant jejuni, alii arido contenti pane: ciliciis afflictabant membra, verberibus cadebant, horas complures precando & meditando cœlestia consumebant.

Sodalitas longè dissimilis, si spectetur hominum conditio; si utilitas, non exiguæ frugis, in Cuskeni collegio constat erat è cæcis & mutis. Accidit, naturæ an loci vitio? ut in ea civitate plures nascantur oculis capti: sed jacturam oculorum sarcit memoriæ tenacitas, solertia ingenii, dexteritas mira & industria. Horum aliquos, ob inopiam destitutos ab omnibus, Patres domi alebant, instituebantque diligenter Fidei rudimentis, quæ illi statim mandabant memoriæ, & venustissima patrii sermonis ubertate renarrabant. Istos prædicandi Evangelii adjutores sumperunt, vixque prodibat sacerdos è nostris unus, quin aliquem cæcum sibi comitem adfisceret. Idem in remotiores longè pagos educi audiebantur summa cum voluptate ab indigenis, pendente circa cæcum concionatorem attenda multitudine, & avidis auribus quæcumque dicerentur bibente. Subjiciebant concioni pias cantiunculas, & petitas è sacris libris historias, easque, à præcipuis neophytis lautè ac liberaliter accepti, multo facundius & libentius decantabant, quàm ineptas & jocularis nãnas, quibus olim otiosos prætereuntium circulos distinebant. Cæcis interdum jungebantur muti, quibus unam natura linguam ita negaverat, ut alias totidem donasse videretur, quot in capite nutus, quot in digitis erant articuli. Quæ mytheria Fidei, & præcepta doctrinæ Christianæ à cæcis efferebantur voce, eadem muti oculis eloquentibus, & vocali gestu exprimebant. Sic alteris alteri quod deerat commo-dantes, oculis pariter & auribus audientium spectantiumque serviebant. Doctores alii, istis magis cæci & muti, propositi sunt in collegio Limano, nimirum libri, qui ejus in vestibulo affixi, feriãntes, ut assolet, in aditu advenas & hospites occuparunt. Idque variis postea in locis non sine pietatis fructu est usurpatum. Religionem ac virtutem efficacius persuasit compluribus indigenis advenisque publica & luctuosa calamitas. Quippe Kalendis Decembribus anni MDCIV. repentino motu concussa tellus circa urbem Arequipam intremuit, ac per trecentas admodum leucas, diram stragem edidit. Civitates plurimæ partim excisæ radicitus, & in auras jactatæ: partim sic sepultæ, ut locus ubi stetissent, quæreretur; avulsi montes; siccati, vel hiante terra hausti fluvii: mare limitibus victis proruptum monstra piscium, ignotæ magnitudinis & formæ, in valles novas effudit.

* I Petr. 2.

15.
Cæci Cuskenes
& muti ad eru-
diendam ple-
bem adhibiti.

effudit. Aer pulvere, fumo, cinere stans, atram induxit noctem de meridie, ac multos mortales spiritu intercluso præfocavit. Divinæ providentiæ merito ascriptum est, quod Arequipensis collegii Patres certum in locum evocati à rectoris convenissent, cum ruere testa & urbs primum excindi cœpit. Ibi cum profiluerunt in oppidum, ad miserabilem, quæ restabat ex immani clade, turbam omni ope sublevandam. Hanc multo paratorem offenderunt ad melioris vitæ curas serio concipiendas; is enim existere calamitatum publicarum fructus solet. Sic flagitia compescere Deus amat, id agens ut peccantes emendet potius, quam ut fontes perdat.

16.
Pretiosa mors
& vita P. Petri
Annañci.

Hos inter metus ac ruinas vastissimæ regionis placidum Apostolici laboris finem invenit P. Petrus de Agnasco, pridie Id. April. anni MDCV. non MDCIII. ut nonnulli scribunt: siquidem ingressus Societatem est anno MDLXXII. annos ipse natus duos & viginti, & in ea vixisse annis tribus ac triginta perhibetur. Ubi primum vitæ sanctioris consilium iniiit, animum unicè appulit ad imitandum Christum, cui tanquam suo duci militare statuerat: vixque è pueris excefferat cum domestica mancipia præmio proposito invitabat, ut ab iis caderetur inculsis alapis, memor similis contumeliæ olim inflictæ Christo: & famulos mercede illectos ad audenda graviora perduxisset, nisi parentes, re animadversa, illorum proterviam coercuissent. Religiosam amplexus vitam, retinuit pristinam in se sapiendi cupiditatem, explevitque. Tria maxime, in quibus elaboraret, sibi proposuerat; obedientiam, orationem, contemptum sui. Cum Indis ita degerebat, ut unum eorum diceres, imo omnium servum: ægri pariter ac sani parentem in illo, medicum, & magistrum sentiebant. Eorum vulnera deosculati, laniam ac pus haurire non semel conspectus est. Novem difficillimas linguas, quo pluribus prodesset, didicerat, coque instructus præsidio innumeros mortales erudit. Litteris etiam consignavit earum linguarum prima rudimenta, ut posterorum laborem sublevaret. Quoties ad excipiendam alicujus confessionem vocabatur, confestim omnis omnibus accurrebat, maximum in mora periculum saepe esse confirmans. Libellum circumferebat sua descriptum manu, in quo virtutes nostrorum, quibuscumque versabatur, habebat exaratas. Quemcumque in locum procederet, eo sanitatem secum deferre videbatur, id quod ipsemet P. Joannes Romerus, illis Missionibus præpositus, se confitetur expertum; ac præsertim cum in oppido S. Jacobi perniciose febri jactaretur. Nam simul atque P. Agnasco, nomine JESU invocato, manum ejus pectori admovit, salutari tactu fugata febris est, ac somnus per diu non visus rediit. Tigres, animal ferocissimum, blandientes & innoxias leniter demulcebat. Sic res creatas omnes habet subditas qui se Deo subjicere totum novit.

17.
Provincia Peruana
partitio. Collegia Guamangense &
Carthaginienſe.

Cum latius in dies provincia Peruana funderetur, jamque versus septentrionem excurreret ultra decimum ab Æquinoctiali circulo gradum, & ultra trigessimum ad meridiem, visum est eam tres in partes dividendam esse, ut commodius gubernaretur. Itaque duæ sunt constitutæ vice-provinciæ; nimirum una ex iis domiciliis quæ septentrionem spectabant; altera ex iis quæ longissime tendebant in Austrum: media vero pars, Æquatori propior, nomen provincie retinuit. Vice-provincia septentrionalis novum regnum Granatenſe complectebatur. In eo erat collegium Quitenſe, à quo tota vice-provincia Quitenſis est nuncupata; Seminarium S. Ludovici; Residentiæ Panamenſis, Carthaginienſis, & Sanctæ Fidei. In Australi vice-provincia, quæ Charquensis quoque appellabatur, collegia erant Potosinum & Pacense, Residentiæ Tucumana & S. Crucis, necnon Missiones aliquot. Provincia continebat collegium Limanum, domum Probationis, Residentiam S. Jacobi, & Julienſem: collegium seu Seminarium S. Martin; collegia Cuskense, Arequipense, Chilense, & quod anno MDCV. constitutum est, Guamangense. Est Guamanga pulcherrima civitas, æquali fere spatio distant à Limana & Cuskensi. Vocandæ Societatis desiderium civibus iniecerunt variæ Missiones, ac præsertim anno MDCV. cum postulatu Episcopi Cuskensis, cujus in diocesi est Guamanga, missi sunt è collegio Limano Societatis duo sacerdot-

tes.

res. Illi, cœlo piis conatibus aspirante, civitatem purgarunt à vitis, & moribus optimis ornaverunt. Collegium à civibus continuo expetitur, & ab antistite fundatum. Inter varias sodalitates in eo constitutas, uni munus illud erat impositum ut pacem inter ciues & concordiam foveret, id quod necessarium est visum propter crebras civium factiones, & intestina dissidia. Certi sodales auctoritatis præcipuæ ac virtutis, statim atque seditionis ac tumultus quidpiam increpuiſſet, accurrebant, simulque cum Patribus surgentis incendii scintillas exitiales opprimebant. Admirari vero satis non poterat civitas viros oppidi principes, e sodalium numero, frequentare nosocomia, cibos agris submisso genu ministrare, adeste diu noctuque animam agentibus, ad infima se ministeria serviliter abjicere. Non levior, aut minus gratus publicè fructus è scholis exstitit. Veniebant parentes domum nostram gratias acturi, quod liberos suos operâ nostrâ dociles & quietos haberent, quibus antea protervis & impacatis utebantur. Fuerat collegium Carthaginense in Novo, ut vocant, Regno inchoatum anno MDCIV. Domum illi opportunam anno MDCV. dedit nobilis Lusitanus, addita pecuniâ non mediocri summa; quæ cum ab ipso mutua peteretur, gratuitam spontè obtulit. Primæ omnium, quæ à nostris illic habita est, concioni homo perditissimus interfuit, in flagitiorum cœno jacens ab annis circiter quadraginta. Ea permotus respuit, & camarinam fetentis animi perpurgavit. Huic similia cœlestis gratiæ miracula permulta urbem admiratione summa & voluptate affecerunt. Nec defuerunt externa, ut ita dicam, miracula, quæ multitudinis oculos magis feriunt. Invaserat hominem dæmonium mutum. Illius herus nomen S. Ignatii epistolæ sub scriptum, capiti laborantis imposuit. Reclusum est os mutum, & primas voces Ignatii laudibus consecravit. Nobilis matrona profluvium sanguinis arte nulla sistere valuerat: illud recitatis coram ejusdem Sancti effigie precibus inhibuit. Altera Beati viri chirographo parem medicinam pari morbo quæsivit. Grassabatur in Peruæ sinibus popularis lues: civis studiosissimus nostræ Societatis, amissis duobus mancipiis, reliquæ familiæ cladem veritus, imaginem Ignatii, qua paucis ante mensibus vitam uxori animam agenti redditam meminerat, servis obtulit. Ut eam venerati sunt, agrotis restituta est valetudo, sanis tuta & confirmata mansit. Mulieres in summa difficultate pariendi, cum vitam dare maturis fetibus non posse viderentur, quin eam ipsæ perderent; hanc & sibi & illis ab Ignatio servatam gratulatæ sunt. Idque tam frequens & pervulgatum erat, ut miraculi propè nomen crebritas ademisset. Par ejusdem Sancti virtus in sanandis morbis*. Insigne est quod in civitate S. Jacobi contigit. Virgini Deo sacræ dolor dentium acutissimus vocem ac penè mentis sanitatem eripuerat. Ignatii felix imago admota ori, vim doloris subito retudit. Virginem incessit dubitatio, Ignatii meritis an casu factum foret; statimque redivivus dolor fodicare dentes putridos violentius cœpit. Oravit veniam supplex, & ab auctore beneficii facile impetravit. Eadem aliquanto post stimulis acerbis pungi sibi latera sensit. Accessit medici artem suam inanem esse doluerunt. Cœlestis medici expertam opem Virgo rursus imploravit. Appressit lateri beneficam imaginem: nec absuit precibus Ignatius. Dulci perfusa somno, quem antehac prorsus ignorabat, evigilat sana, & in templum, ubi solitæ preces à reliquis virginibus recitabantur, procedit magno omnium stupore, quæ restitutam illi sanitatem lætis vocibus conclamarunt.

Hunc de Perua locum obitus insignium aliquot virorum claudet. Amiste anno MDCVI. Societas illustrem patronum, ac pæne patrem, in antistite Cuskenſi, cujus minime fucam aut sterilem benevolentiam non tantum Peruana Societatis domicilia, verum etiam Europæa senserunt. Neque idcirco erat in sublevandis populi calamitatibus parcior, in quem proventus amplos effundebat, id enixè curans ne quis egeret, præter se se. Uno è nostris ad sacram confessionem; aliis passim ad consilium capiendum, & ad obeunda Evangelica ministeria, utebatur. Austeritatem vitæ in magnis opibus, æquitatem in sacra potestate, in æquitate lenitatem & clementiam semper coluit, ut merito ambigeres an Superioris esset propter egregiam probitatem, an hominibus propter humanitatem carior.

Partis V. Hist. Soc. Iesu Tom. II.

Z z z

* Vide Lib. XV. §. X.

18.
Obitus virorum
aliquot illu-
strum.

rior. Ne ipsa quidem morte à nobis dividi voluit, quibuscum arctissime conjunctus vixerat, sibi in templo nostro tumulum componi jussit. Antistiti de Peruana provincia bene merito duos è nostris addimus, quorum alter illam veluti fundavit, alter eandem non parum ornavit; Hieronymum Ruiz de Porillo, & Joannem Atienzam, seu Aziendam; hunc Vallisoletanum, illum Lucronensem. Ruizio Peruam petenti horrida tempestas incubuit. Avulso gubernaculo spoliata navis ferebatur incerto & irato mari, cum particulam Sanctæ Crucis projecit in fluctus, qui continuo mites & compositi placidum æquor straverunt, Enatans ligni felicitis portio quassatæ rati pro gubernaculo fuit, illamque à puppi prosequens, iterque veluti signans, in portum rectâ duxit. Cum vero in terram Ruizius exscenderet, totum intremuisse littus fertur: sive fortunatum novi hospitis adventum gratularetur exultans regio; sive clades suas prospiciens Tartarus cohorresceret. Sanè vix consequi verbis quisquam potest, quot victorias ab illo strenuus Christi miles reportarit, tum in civitate Regum, quam ab amoenissima, ubi sedet, valle Limam vocant; tum in reliqua provincia Peruana, quam annis pluribus prudentissimè administravit, & undè in varias America Australis partes Societatem invexit, Deiparæ præsertim ope singulari ac tutela, quam vidisset anno MDXCII. moriens dicitur invitantem ad cœleste regnum, & ad præmium vitæ per annos LXXII. in obsequio divino feliciter decursâ.

P. Joannes Atienza vocatus in Peruam fuit ad eundem ferè modum quo S. Franciscus Xaverius olim in Indiam. Intentus piæ meditationi, dum adhuc in Hispania versabatur, visus erat sibi vestire humeris barbarum Americanum, qui has ipsi voces identidem occinebat, *veni, adjuva me*. Quid hoc portenderet facile intellexit. Quamobrem egit sedulo cum suis moderatoribus ut in Americam transmitteret; ubi collegio primùm Limano, deinde toti provincie Peruanae præfuit. Plurimum utebatur ejus consiliis Peruæ Prorex, dicere solitus, qui prudentia illi præstaret esse in Perua neminem. Prophetiæ spiritu præditum fuisse multa ostenderunt. Admirationi erat illius, in summa temporum ac rerum varietate, animi æquabilitas, nunquam elati prosperis, nunquam adversis fracti: certissimus fructus intimæ familiaritatis, qua Deo rerum humanarum sapientissimo gubernatori jungebatur. Illustria in utroque Orbe virtutum religiosarum reliquit impressa vestigia. Mortuum Kalendis Novembr. anni MDXCII. post annos L. vivendo emensos laudavit pro concione Limanus Archiepiscopus; civitas tota flevit.

Renovatum per id etiam tempus videtur prodigium, quod in eodem S. Francisco Xaverio celebratur. Obierat anno MDCIX. Guamangæ P. Ildefonso Miranda. Ejus cadaver cum refoderetur, aliò transferendum, prorsus integrum repertum est, ita molle magnam partem ac tractabile, ut vivi hominis judicares, quamvis ante sex menses conditum, inditâ feretro calce vivâ, fuisset. Minus id mirum illis accidit, quibus perspecta viri virtus erat, & qui ejusdem in cœlesti patria gloriam Deo monstrante cognitam, & locuplete compertam auctore perhibent. Sane illud non nunc primum, nec falso jactatur, Societatis homines qui Christianis mysteriis feras ac barbaras gentes instituunt, aut jam insigni sanctitate præditos, aut ad eam brevi pervenire. Sive quòd remoti longius ab omni rerum caducarum furo & illecebris, in solo Deo panè cogantur acquiescere; sive etiam quòd majora de cœlo accipiant bene ac perfectè vivendi præfida, quibus instructi asperam virtutis heroiæ viam impigrè decurrunt: seu demum, quòd ob oculos habeant divinæ gratiæ miracula, & summarum in recentibus Christianis exempla virtutum, quibus majorem in modum accenduntur. Quis enim cœlestis gratiæ vim non admiretur, cum barbaras mulieres, antea in flagitiorum cœno volutas, nunc majorem pudicitia curam gerere videt, quam libertatis & vitæ? homines vix imbutos antea colore humanitatis, acceptas injurias oblivione voluntaria contere, pares quibuslibet ærumnis animos & cruciatibus offerre? Peruani Principis conjux veneficiis confictata sibi vitam paulatim eripi sentiebat. Rescivit depelli morbum ac mortem nullo negotio posse, si nescio quid fieri pateretur, quod olebat veneficium. Respondit tanti sibi præsentem vitam non esse, ut eam delicto vel minimo emptam vellet. Ac illa qui-

quidem tabe lenta sensim consumpta interiit : ejus tamen necem haud inultam passi sunt Superi . Anus quædam , ex illo veneficorum agmine , suscepta cum suis gregalibus similitate , illorum sceleratas artes judicibus aperuit . Septem comprehensî plurimis hominibus illatam à se necem confessi sunt . Sic Avernale noctu peragebant sacrum , quo necem cuiquam moliebantur . Triduum abstinebant cibo : tum opem mali dæmonis implorabant horrendis clamoribus . Prodidit ille nigro involutus linteo , & fructus oblatos devorabat : deinde hominis , quem peremptum cuperent , fabricari jubebat effigiem ex adipe arietis Indici , & humo infodi . Hanc dum fingerent ac defoderent , infano ululatu voces iterabant istas , *Matia , percutè ; Matia , percutè* . Defossa imago dum corrumpatur , simul homo macie torridus & contabescens peribat . His veneficorum artibus , aut alia quapiam barbarorum conspiratione sublatum P. Raphaelem Ferrerium anno MDCXI. eadem Perua doluit . Brevi temporis spatio Cosanes quadringentos , genus hominum ferum & immane , cicuraverat , ac salutis fonte mundatos à vago silvestri que victu traduxerat ad communis vitæ societatem . Absunt illi Quito millia passuum fere ducenta . In regionem ulteriorem enisus nusquam deinde comparuit . Fama vulgavit eum ab indigenis dolo evocatum , & in profluentem cum sociis abjectum . Quæcumque tandem illius mortis conditio fuerit , cognitum est postea certis auctoribus non aliam ejus fuisse causam , quam quòd invisam ingratisque barbaris doctrinam prædicaret . Porro non ante mensem Martium anni MDCXI. periisse haud levis conjectura ducitur è litteris Patrum Ferdinandi Arnolfini , & Stephani Pæzii , qui XV. Kal. Apriles ejusdem anni , cædem hanc ut recentem ad Præpositum Societatis perscribere . At P. Benedictus Arroyus , cum Peruam anno MDCXII. pestilentia vastaret , vitam , cujus sextum nondum impleverat lustrum , fortiter profudit in officio caritatis , enectus halitu putrido barbari , cui contenti aures dabat . Flagrabat ingenti animarum studio , quam ejus virtutem alie multæ comitabantur . Biennio post Socii septem , in eadem caritatis arena pro salute proximorum depugnantes , fortiter ceciderunt .

Quietorem in collegio Pacensi mortem obiit anno MDCXIV. P. Gabriel de Baeza Hispanus ; per annos duos & quadraginta versatus in Indicis pro religione propaganda laboribus . Tantus erat ejus in precando ardor , ut admotis pectori pannis frigidâ imbutis temperandus esset . In seipsum inclemens ac prope crudelis , perpetuo amictus cilicio , & cruce ferreis aculeis aspera onustus incedebat : his armis pudicitiam contra hostiles insidias tutabatur . Nullis unquam spectaculis interfuit ; nullius odoris suavitate degustavit , nullius demum religiosæ legis , etsi levissimæ , violatæ reus est visus . Ex quo intelligi potest quantus fuerit in rebus maximis , qui vel in minimis tantus foret . Laus eadem , vitæ ad omnes religiosæ disciplinæ numeros exactæ , Alfonso Ovando tribuitur : eadem piæ crudelitatis . Non contentus cilicio simplice , pluribus utebatur , ut nulla pars corporis , licet innocentissimi , & ab omni labe semper intacti integrique , supplicio vacaret . Ita vero repetitis verberibus sæviebat in se se , ut nihil præter plagas verberaret , ac totus uno quodam vulnere constare videretur . Admonendus & pæne cogendus erat ut cibum sumeret . Ceterum cœlestibus affluebat deliciis inter orandum , quæ sors illorum est , qui vilia rerum infimarum oblectamenta , velut Ægyptias dapes , aspernantur : illis manna suavissimum è cœlo depluit . Quem perfectæ virtutis gradum Ovandus non ascendisset , si suppeditalset vita , qui jam istud culmen annos decem duntaxat & septem natus , ac novitius , attigerat ? Obiit in tirocinio Limano VIII. Id. Novembr. ejusdem anni MDCXIV.

PERUÆ finitimum est Chilense regnum , eaque clauditur à septentrione ; aluitur ad occasum mari Pacifico ; ad ortum cingitur perpetua montium altissimorum catena , finesque Tucumania attingit . Protenditur à vigesimo octavo gradu versus Austrum , usque ad septimum circiter & quadragesimum : latitudo non major quàm sex septemve graduum est . Hoc regnum Hispanis primùm patuit anno MDXXXVI. idque felicibus paulo post occupavit armis Petrus Valdivia ,

Zzzz 2

&

S. X.

RES GESTÆ IN
CHILE , PARA
GUAIA , & TU
CUMANIA .

19.
Collegium Chi-
lense.

& urbem S. Jacobi condidit, regni caput. Ad cicurandas barbarorum mentes, & religione imbuendas eò Societatem vocavit Rex Catholicus. Octo è nostris ineunte Februario anni MDXCIII. profecti Limá, Coquimbum, Chilensis ora portum celebrem, exeunte Martio, inde urbem S. Jacobi, tenuerunt. Excepti perhumaniter fuere tum à civibus, tum verò à Patribus Dominicanis, obviam longè progressis & hospitium offerentibus. Ex illorum cœnobio migratum subinde est in ædes collegio attributas, in iisque Sextili post mense initium docendi factum. Paruit initio collegium Chilenum, cum adjunctis ei paulatim domiciliis, Peruanæ provinciæ præposito: sed mox ab ea separatam provinciam cum Paraguaia, sive, ut alii scribunt, Paraguaia, & Tucumania peculiarem constituit. Quamobrem de rebus in Chileno regno, in Paraguaia, & Tucumania gestis simul dicemus, ut ne dividantur narratione quæ ejusdem provinciæ vinculo conjuncta sunt. Sed ante ipsius Paraguaia, unde nomen toti provinciæ datum, & Tucumania, brevis est informanda notitia.

20.
Ingressus Socie-
tatis in Para-
guaiam, & pri-
ma domicilia.

Paraguaiam claudit à septentrione Brasilia, oceanus ab ortu, Perua & Chile ab occasu, à meridie Tucumania & regio Magellanica. Nomen invenit fluvio Paraguaio, qui trecentas fere leucas emensus accipit amnem Paranam. Uterque sexcentorum fluminum exuviis dives, sumptoque nomine de *la Plata*, quæ vox argentum Hispanis sonat, ducentas admodum leucas eodem conficit alveo, & in oceanum vestigales aquas desert. Paraguaia caput civitas Assumptionis. In eam anno MDLXXXVIII. primus è Societate venit Leonardus Arminius, Neapolitanus, cum tribus Sociis, & cives usitatis sacramentorum & concionum præfidiis confirmavit: mox in circumjectos agros & oppida procurrit. Itaque non ita multo post Societati domicilium Villarica, in Guairanio tractu, datum fuit. Anno vero MDXCIII. Cives Assumptionis eidem certam domum obtulerunt in urbe sua. E pluribus Sociis Alfonsus Barfana & Joannes Romerus in oppido confederunt; alii per insidias barbarorum ac tela, in regionem intinam pervecti, Guarambæos, Cucuienses, Piraienses, Itatinos, Arifanos, erudierunt, ex iisque opima Christo Domino spolia tulere. Sex oppida, propter Hubaum flumen sita, partim à gravissimis deterruere sceleribus, partim religionis veræ moribus ac præceptis instituerunt: alia duo, vocatis in vita socialis communionem barbaris, condiderunt. P. Gaspar Monroyus Christiana sacra Omaguacis intulit Fluminis Rubri fontes accolentibus. Illi ab annis triginta Hispanorum imperio, nonnulli etiam Christi legibus parebant. Verum, constata per eos dies nefaria conspiratione, perduellionis signum aperte sustulerant, duce regulo quodam Piltipico; qui olim baptismo initiatus datam Deo & Hispanis fidem impiè fregerat, everterat Cruces, templa exusserat, oppidula solo aquaverat. Hunc vincendum Monroyus suscepit. Solus & inermis armatum, stipatumque multo milite aggreditur. Ac primò quidem homo sacrilegus adeuntem superbè ac ferociter accepit. Modestia tamen, comitate, atque insecto prudenter ab armis Hispanorum metu paululum mitigatus, sacerdotem domum invitat. Ibi portionem insulsam, è tritico Turcico vetularum dentibus trito confectam, usitatam gratanque barbaris, ipsi propinat. Sumpsit poculum Monroyus tam hilariter ac festivè, ut in ejus amplexum ruens Piltipicus pacem composuerit, potestatem Omaguacas baptizandi, commeatum ad iter, ultrò ac prolixè concesserit. Tantum in rebus minimis ad maximas conficiendas sæpe momentum est! tantam vim ad expugnandos animos modesta comitas habet! Paucorum dierum spatio quinque vicorum oppidani, cædibus antea & sacrilegiis infames de pace & Christianis legibus amplectendis una mente & voce consenserunt. At Piltipicus cum subinde pristina scelera & belli consilia repetiisset, victus acie captusque, in gratiam cum Deo & Hispanis per eundem Monroyum est revocatus, atque in vinculis piè decessit.

21.
Tucumania fi-
tus; primi ejus
cultores è So-
cietate.

Non segnus Christianam rem Socii procurabant in Tucumania. Hanc Paraguaia esse partem aliqui volunt. Habet flumen Argenteum ab ortu, montes Chileni regni ab occasu. Patet in latitudinem ad leucas trecentas, ad ducentas vero in longitudinem. Primaria civitas olim erat Fanum S. Michaelis; sed, hoc oppido

oppido destructo, condita est urbs S. Jacobi, nunc Tucumania caput, & Episcopi sedes. Secundum hanc civitatem præcipuæ sunt Nova Corduba, Salta, Estecum, Risca, &c. Tucumania detecta fuit ab aliquot Hispanis militibus, qui per fluminis Argentei ripas in Peruam novum iter tentabant, annis MDXXX. & XXXV. Primus Tucumania antistes Franciscus Victoria, Dominicanus, ad P. Josephum Anchietam Brasiliæ provincialem, & ad P. Joannem Atiensam Peruæ Præpositum, litteras dedit, homines aliquot Societatis enixè postulans. Missi sunt ex urbe Porosio anno MDLXXXVI. Franciscus Angulus, & Alfonsus Barsana; tantisque fructus pios labores, Christo adjuvante, consecutus est, ut spes colonorum ac prope vota vinceret. Haud ita multo post accesserunt in Tucumaniam aliquot Socii, è manibus Anglorum piratarum elapsi anno MDXCIII. Omnes, collatis viribus, opem genti miseræ pernecessariam attulerunt, & longè lateque, *ubi erat impetus Spiritus*, evagati, Mataranos, Huarpas, Lullos, Niguaraas, Calquaquinos, Frontones, accolæ Fluminum Salsi, & Rubri, alios aliis nominibus, institutis, vitisq; discrepantes sacro lustrarunt baptisinate, & cœlestibus præceptis imbuerunt. Alfonsus Barsana viginti millia ethnicorum sacramento Fidei quadriennio mundasse fertur: pacem multis locis tum publicam indigenarum cum Hispanis, tum privatam inter dissidentes composuit: linguas perdifficiles novem, ac planè diversas brevissimo tempore non didicit modo, verum etiam, conscriptis libris, ut ab aliis percipi tradique possent effecit. Duæ interim stationes Societatis in Tucumania sunt positæ, una in oppido S. Jacobi, altera Salta.

Dum hæc in Paraguaia & Tucumania geruntur, P. Ludovicus Valdivia, Chilensis collegii primus moderator componebat vulgi mores, & sanandis animis totus ac servandis vacabat. Comperit cives amplius quinquaginta mutuis inter pocula cædibus paucorum mensium spatio periisse. Indagavit mali caput. Europæi mercatores lucro ducti non solum venale proponebant vinum, sed indigenas etiam alliciebant ad potandum, & huic incendio faces subiciebant. Egit cum antistite & magistratibus, ut modus popinis & cauponibus, legesq; certæ statuerentur, quod in tanta lucri tam facilis aviditate vix obtineri posse credebatur. Ita pax in foro & familiis fuit: rixæ, lites, iræ, & alia quæ sunt in vino mala, confestim extincta. Patres Gabriel Vega & Ferdinandus Aquilera è collegii Chilensis umbra domestica processerunt in solem ac pulverem, Apostolorum more *sine sacco & pera* *, & verbum vitæ *gratis dantes* *: magna populi admiratione, qui nihil præter merces exoticas atque aurum in regione, sua quærere videbat vulgo ab Europæis institoribus; & illud ipsum, licet alio nomine, peti a sacris hominibus aliquando crediderat. Accessit Patrum concionibus non levis auctoritas ab exemplo regii prætoris Martini Garziæ de Loyolæ, qui partes omnes non sui tantum, sed pænæ sacerdotalis officii explebat: dignus qui sanctum Ignatium cognatione attingeret, ac salutis etiam alienæ studio proximè sequeretur. Tenere se collegii moderator Valdivia non potuit quin, ipse quoque prodiret, ac Sociis tam naviter laborantibus operam adjungeret. Cum aliquando in exequiis puellæ nobilis verba de contemptu mundi, rerumque fluxarum inanitate faceret, dicentem audivit Didacus Lopes de Salazar, Hispanus præpotens, opibus, honore, ceterisque vitæ commodis circumfluens. Perculit hominem oratio; grave salutis periculum agnovit, quod obeæcatus fascinatione voluptatum non videbat: utque illud effugeret recepit se in Societatis tirocinium. Ibi cum mentem ad contemplationem bonorum ac malorum æternorum vehementius appulisset, insolita contentione profligavit valetudinem, remissusque in patriam, tertio quàm venerat die, votis religiosi ritè nuncupatis, occubuit.

Interim PP. Emmanuel Ortega, & Thomas Fildius tanto uberiores animarum messes anno MDC. collegere, quanto fœdior morbis ille annus existit in Guairania, quam Paraguaia partem excolendam præcipuè sumpserant. Pagos, antra, nemora, diu noctuque concursabant, ut morientibus catervatim Indis præsto essent. Nec paucos mortis metus ad capeffenda sempiternæ salutis remedia compulit. His instantem Ortegæ aquarum repentina proluvies pænè obruit.

* Luc. 22.
* Matth. 10.

22.
Guairanii, Diaguitæ, Lulli &c. excoluntur. Collegium Novæ Cordubæ.

obruit. Iter illi per campum erat duobus utrinque fluviis irriguum. Egressi ripas magno fragore planitiem vastissimam subito impleverunt. Nulla nisi in arboribus salus, in quas ex omnibus pagis indigenæ confestim, obrutis aqua muralibus, evaserunt; permisti viris pueri, ægris valentes, Christianis ethnici. Matres filios complexæ, lamentabili gemitu duplicabant cladis horrorem; nec minus terroris afferebat virorum stupor ac silentium; quibus remediū nihil ostendebatur, si campum obtinere fluvii pergerent, cum esset omnibus aut aqua, aut fame pereundum. Ecce autem aliis à feris timor, quæ superfuso natantes æquore, quamvis oblitræ paululum propriæ feritatis in communi periculo, ad eandem arbores applicabant se se. Ingens vipera præaltam ad quercum, cui Ortega nosse infidebat, adrepsit, & sinuosis orbibus ramum implicuit, Ortega non igne ac sanguine suffectis petens. Sed ramus fractus pondere, illam opportunè in aquas excussit. Hoc discrimine defunctum clamor subitus exterrit. Cernit inter tenebras obscuræ noctis, barbarum ad se natando accelerare. Audit ex illis tres ethnicos morbo & inedia confectos baptismum postulare. Nihil cunctatus alligat ad summam arborem vestes, & in aquam se projiciens ad eos enatat. Luctatus diu cum incurvantibus ramis ac vepribus, quos ab humo convulsos ferrebant undæ, ad arbores monstratas pervenit; ethnicos pro tempore edoctos baptizat, qui statim vita viribusque destituti, & in aquis sepulti sunt; cum aliquot neophytis, quos peccata confitentibus audierat. Magnus fuit in remeando labor; nam pedem acri spina pertusum vix movebat. Triduo exacto inter hos metus, & aquis notos in alveis redeuntibus, intumuit pes dolore incredibili; cuius sensum, licet evulsâ spinâ immittutum, semper quoad vixit, cum fluida cicatrice retinuit. Utcumque curatus, universa Guairania docendo patientiæ perlustrata, Novam Cordubam revocatus est, ubi Societati domum civis magno consensu obtulerunt. Ea dum ædificatur, dum templum erigitur & ornatur, Joannes Romerus in circumjectis urbi locis ardorem Fidei ac pietatis prope extinctum suscitavit. Regio est montibus ac moribus asperrima: & longo intervallo nullus nostrorum eò se contulerat: quocirca plerique neophyti ad avitas superstitiones deflexerant. Procurrit inde ad Diaguinas. Fuerant illi quidem Hispanis, internuncio & interprete P. Barfana, conciliati. Veteres tamen alebant iras, innata feritate, & satis magnum à se beneficium dari putabant, quòd palam non rebellarent. Nostros exceperunt læti: quippe qui probe intelligerent paratum sibi esse in eorum auctoritate & caritate perisugium adversus iniquam Europæorum vexationem. Hac opinione, sanè vera, fretus Romerus primum octoginta ex illis in Ecclesiâ septa introduxit: deinde pagum ducentis capitibus constantem; mox quinque oppidula Christianis legibus & sacris initiavit. Finitima gens exemplo mota, in Christi jus ac ditionem ultro venit. Compertum fuit ab ea Solem adorari. Habebant persuasum principum animas post mortem in astra majora converti; plebeiorum vero, in minores stellas. Iussi à Patribus evertere Solis ædem, omnes uno impetu fanum disturbarunt, ac donaria tholorum refixa comminutaque concremarunt. Doluere principes tenebrarum tantam suis rebus, tam brevi tempore, insitam securim. Commovent veneficos & præstigiatos, causas discordiæ serunt. Nihilominus senum quorundam operâ seditio compressa est, & concordia rursus devincta. Gravius ab oppido vicino periculum Patribus incubuit. Non steriles minæ jactabantur: armata cohors, & ad eandem conducta, properabat. Dum fugiunt per avios calles, adest à pagi, quem proximè præterierant, dynasta ethnico famulus, obsecrans ut redire ne graventur ad morientem herum, & Christiana sacra postulantem. Paulum addubitarunt quid agerent. Certum videbatur periculum in hostem incurrendi, si redirent. Verabat contra caritas ne fugere pergerent, ne barbarum perire paterentur. Vicit omnes metus caritas. Relegunt viam, haud tamen per eandem omnino vestigia, & bidui itinere confecto, non tantum dynasten familiæ Christi per baptismum inserunt, verum etiam alios in eodem pago infantes ducentos, qui ad unum peste sublatis ad immortalem vitam evolarunt. Hæc ipsa Patrum in pago mora iisdem saluti fuit. Nam hostis fugientes acriter persecutus, & rediisse ne-

sciens,

sciens, luit operam; haud dubiè assecutus, si iter institutum tenuissent. Quam bene pro suis Deus excubat! quam tutò illi creditur! Non leviori labore, nec minus illustri tutelâ Numinis, Lullorum curam suscipere PP. Ferdinandus Monroius & Joannes Viana. Excitavit illorum studia tum quòd nemo alius sacerdos immanitati gentis & inconstantia auderet se committere; tum quòd ab annis duodecim destituta omni auxilio jaceret. Consultum est inopia miserorum ac solitudini omnibus modis, quos impigra pietas comminisci ad salutem animarum solet. Sed in gravissimis ærumnis, & humanorum commodorum penuria, tantam vim cœlestium deliciarum suis famulis *Deus totius consolationis** infudit, ut scriberent vereri se ne istis tam liquidis gaudiis merces quantulacumque suo labori debita repræsenteretur; idque ipsis objiceretur aliquando, *Receperunt mercedem suam**. Joannes quidem Viana tantis lætitiis incedere se dicebat, ut in celo sibi esse videretur. Quia tamen istis, quamlibet haustis è cœlo, voluptatibus inesse nonnihil fraudis ac fuci potest, nisi solida virtus subsit; Socios omnes è remotissimis regionibus unum in locum identidem congregandos curabat Joannes Romerus, ut precationi vacarent impensius, ut consilia simul conferrent de ratione juvandarum animarum; ut quæ sibi quisque obfuisse vel profuisse observasset, communicaret cum ceteris: demum, ut se piis sermonibus invicem & exemplis accenderent. Ita Deo pleni repetebant opus paulisper intermissum; ita conceptas per sacrum otium flammam latè per Tucumaniam, & Paraguaiam sparserunt.

* II. Cor. I.

* Matth. VI.

In Chilensi regno præcipuam laboris & industriae partem habuit P. Ludovicus Valdivia. Regionem inquieta pacis & belli vice turbidam lustravit cum Alfonso Garcia Ramono, ejus præfecturam adepto, & ad pacem cum religione retinendam induxit. Viginti gentis Principes Christo dedere nomen, & concordia publicæ sequestros vadesque se obtulerunt. Alii quidam bellum & arma cum ostentarent, ad eos Valdivia, cum quinque duntaxat militibus, accessit. Venientem excepere satis liberaliter, nec segnus de pace ac religione differentem audire. Ab altissimis Fidei mysteriis delapsus ad morum disciplinam unus liberè interpellavit, negans videre se cur ebrietatem, Christiana lex vetaret; quæ somnum permitteret, cui simillimam ebrietatem esse contendebat. Discrimen ostendit Valdivia, quòd dormiens rationis potestatem proximam retineat, non item ebrius; & somni vincula rumpere cum liber possis, vini non possis; cujus crudelem dominatorem domesticis exemplis facilè barbaros docuit. Alium rogantem cur plures unà conjuges Christiana lex prohiberet, ac vehementius, tanquam de legis iniquitate, quiritantem eludit joco, rogans vicissim cur feminis plures habere viros ipsorum legibus non liceret. Casiqui promiserunt, si lustrare interiores regni plagas vellet, se duces itineris, corporis custodes, pacis demum componendæ cum hostibus arbitros & fidejussores fore. Non abnuvit; seque illis deducendum permisit. Convenerant moniti hostium primores certum in locum: quibus Pater cum Regis Catholici litteras ostendisset, nihil per se stare omnes responderunt, si bellorum causa tollerentur, quin pacem ultro & Christiana sacra susciperent. In hac sententia præsentis prodigio confirmati fuerunt. Iuda mulier à partu recens & graviter debilitata infantem sacris expiandum carimoniis dare omnino recusabat, quòd statim enecandum existimaret: id enim persuadere barbaris matribus conabatur hostis humani generis. Valdivia Deo fidens vitam puero, matri incolumitatem spondet; utroque baptizato, stetit infanti vita, reddita parenti sanitas est. Infantis avia, valde anus (quippe centum annos, & plus eo, numerabat) miraculo attonita, baptismum unà cum aliis pluribus flagitavit. Hæc tam præclarè inchoata unius hominis impotens dolor propemodùm evertit. Post vastatas annorum superiorum bellis Chilensium regni urbes, Hispani benè multi servitutem apud Indos, à quibus capti fuerant, aut empti, serviebant. In iis Heredia quidam, loco non ignobili natus, sortem miseram & servitutem eò ferebat ægrius, quòd sociam tori & calamitatis haberet matronam lectissimam, & geminos ex ea liberos. Accidit ut inter vinjurgaretur cum barbaro, cui venditus & mancipatus erat, Indus vino æstuans con-

23.
Barbari Chilenses ad pacem adducti. Impotens iracundia.

conviciis atrocibus astatim Hispanum asperfit. Quibus ille actus in furorem, surgit Indumque contrucidat. Patrata cæde, instantibus barbaris clapsus est fuga, sed non totus: restabat fida conjux, restabant liberi; quorum natu majorem, corripuit, vivumque concremant. Mater infelix alterum filium superstitem amplectens, Quid agimus, inquit, filii, parentis miseræ solatium dicam, an metus & dolor? cur diutius hic stamus? Nam si patre Hispano natum esse scelus est; eadem te, quæ fratrem sustulit, pœna morsque manet: nec mihi quidquam mitius expectare fas est. Sic locuta, fugam per tenebras arripit cum filio. Iter accelerabant noctu per ignota & vasta camporum spatia; interdum latebant in speluncis, & vitam herbis vulvisque radicibus tolerabant. Errantibus in avio nemore sub vespere occurrit mulier ethnica, quæ lignatum veniebat è vicino pago. Fame ac tædio itineris exanimis accidunt illi ad genua; qui sint, quid patiantur, quo tendant, docent. Cepit mulierem tantæ calamitatis commiseratio. Suadet ut parumper in silva interiore lateant, ne in mulieres alias, petere ligna solitas ex eodem nemore, incidant; se provisorum quid optimum deinde factu sit. Mox refectos oblato cibo, & humanitate inexpectata latus, in antrum abdit, ejusque aditum ramalibus obstruit. Redit eundem in locum posttridie, ac sibi deliberatum esse narrat migrare ad Hispanos, baptismi causa; illorum arce abesse duntaxat tridui, nota sibi viarum compendia, duces se futuram. Gratias enim vero agere ingentes, & se totos illi tradere. Venit intempesta nocte, cumque ambobus iter carpit. Triduo post pervenere Araucum, ubi P. Valdivia incolumes accepit. Laudavit, ut par erat, mulieris ethnica caritatem, donatamque lauta veste, longè potiori munere affectit, traditis Fidei rudimentis, quæ cum celeriter percepisset, inter Christianos numerata est. At barbari necem sui civis ulcisci parabant armis, & immanis belli fragore tota jam regio circumnabatur. Valdivia properè ad illos excurrens ferales lenivit iras, & concordiam utcumque instauravit.

S. XI.
PROVINCIAE JUS
ET NOMEN DATUM
PARAGUAIÆ.

HACTENUS administrata fuerat Societas in Chilensi regno, in Paraguaia, & Tucumania, à Provinciali Perua: sed cum istæ tres America Australis regiones longissimè abessent ab urbe Lima, Perua capite, non poterant à Peruanis Provincialibus, spectari commodè & gubernari. Quare à Claudio Aquaviva paucis antè annis P. Stephanus Paes eo præcipuè consilio missus fuerat in Peruam, ut coram inspiceret quod maximè remedium huic afferri malo posset. Ille, de gravissimorum virorum sententia, retulit non aliud præsentis occurrere, quàm si è provincia Peruana partibus hinc inde remotioribus gemina constaretur vice-provincia, Peruano Provinciali subiecta. Quoniam autem multa non levem in dividendis collegiis difficultatem movebant, P. Didacus Torres, cum Romanæ provinciae Peruanae procurator electus accessisset, Præpositi Generalis sententiam exquisivit. Aquaviva, illo diligenter audito, utriusque vice-provinciae fines ac jura descripsit, ipsumque P. Didacum, unum ex illis vice-provincialibus creavit. Interea crebras è Paraguaia & Tucumania multorum Hispanorum litteras accepit, concurrentium immensas Paraguaia regiones à Perua Provincialibus negligi, tanto videlicet locorum intervallo disjunctis. Eorum querelis impulsus Aquaviva è re Societatis & publica fore censuit, si ex Paraguaia, Chile, & Tucumania conderetur nova provincia, neque ullatenus Peruanae provinciae obnoxia. Id P. Didaco significans, eundem Paraguaia Provinciam primum nominavit, eique Socios quindecim, quos in eam secum abduceret, concessit. Hoc idem Peruano Provinciali scripsit. Sed perlata jam fuerant Limam ejusdem Præpositi Generalis priores litteræ, quibus gemina vice-provincia descriptionem à Patribus Americanis propositam confirmabat. Hinc orta dissensio. Alii standum prioribus Præpositi litteris, alii posterioribus pugnabant: nec deerant qui posteriores à P. Didaco extortas dicerent, ejusque bonam fidem desiderarent. Delatâ Romam causâ, rescripsit Præpositus Generalis suam prorsus mentem esse ut è regionibus Americae longius ad Austrum vergentibus, nova nec pendens à Peruano Provinciali provincia constitueretur, eique gubernanda P. Didacus Torres sine ulla cunctatione, ductis aliquot è Perua Sociis, præficeretur. Sic Paraguaia, Tucumania, & Chilense regnum,

gnum, unam in provinciam coaluerunt. Hanc ubi primum gubernandam P. Didacus accepit, nihil habuit antiquius, quam ut tirocinium Societatis in oppido Cordubensi collocaret. Mox delectos ex omnibus domiciliis Patres convocavit in oppidum S. Jacobi, Chilensis regni caput, ut in medium consulerent. Hic habitata provincia prima comitia exeunte Martio anni MDCVIII. Decretum fuit inter cetera ut studiorum sedes in Chilensi collegio poneretur; deinde ut Societatis domicilia collocarentur iis in locis, quæ potissimum idonea propagandæ inter barbaros & fovendæ inter Hispanos religioni, judicarentur.

Vifus est in iis merito numerandus Boni Aeris, ut vulgo appellant, Portus, sive Fanum S. Trinitatis, emporium celebre, ad æstuarium fluvii Argentei, ex quo in Peruanam, Chilen, & Paraguaiam frequens & facilis transitus est. Solum ferax & pascuis abundans, refertum armentis boum & equorum, nullo domo per lata prata oberantium. Præter struthionum vim, ac ferarum Europæis dissimilium, visitur exiguum animal (vulpeculam formosam vocant) tergo vario & pulcherrimo. Nihil eo blandius; obvisi ultro se ingerit, ac delicias facit; sed ubi est admissum, vestibis blandientium inspergit urinam adeo pestilentem; ut fetorem abstergere nec diuturnitas temporis, nec lixivium ulla possit; ac vestes, quasi deusta, penitus corumpantur. Incolæ nullas habent certas domos: ibi pernoctant, ubi eos dies defecerit, aut præda detinuerit: quotidie exules, & semper in patria. Numinis, ut angusta cognitio, sic levis colendi cura. Flet graviter liberis nascentibus, quod eos dicant tunc primum incipere mori. In funere consanguineorum, pro lacrymis fundunt sanguinem, è toto expressum corpore. Honor funeris in eo stat, ut ossa mortui conserventur: ea qui negligit, impius habetur; neque ullum gravius convicium ferunt, quam si majorum ossa dicantur aspernari. Principum Manes colunt, servis eorum mandatis: sic ad heros deduci putant, obsequii continuandi causa. Olim ea natio perquam numerosa fuisse traditur: paulatim est accisa bellis, aut in intimam regionem abscessit. Portum tamen Boni Aeris frequentant adhuc non solum indigenæ complures, verum etiam advenæ, qui huc è Paraguaia & Tucumania commeant. Quo libentius ibi sedem Societas collocavit. Ea dum conditur, Didacus Torres Chilense collegium optimis legibus, pro regionis conditione, temperavit.

E collegio educta fuit Evangelica turma in expeditionem ad Araucanos, gentem ferocissimam, & infestam Hispanis, quorum excusso jugo, post Martinum Loiolam prætorem trucidatam, quasi perduellionis signum sustulerant. Chileni regni partem, à trigésimo septimo versus Austrum gradu porrectam, occupant. Proprios quosdam habent mores ab aliorum Indorum moribus planè diversos. Ab ineunte ætate quod quisque illorum sibi armorum genus elegerit, hoc in omni vita tractat, neque aliud usurpare in bello potest: id faciunt eo consilio, ut in certo quisque armorum genere excellat, cum multa bene tractare vix unius hominis sit. Bello ingruente, gentis primores in commune statuunt an gerere, tunc bellum è publica re fit. Epulas triduo celebrant: in iis deliberatur de rerum summa, quodque deliberatum sic est, mutare aut movere nefas. Ductores copiarum olim ita legebant. Tignum grande humeris procerum imponebatur, qui diutius gestasset molestum onus, ille reliquis præferebatur. Postmodum ob frequentia cum Hispanis bella, usu longo perpoliti, & peritis ducibus & militibus exercitatissimis abundarunt. Nomen sortiti sunt ab Araucana valle, quæ viginti ferme leucas patet in omnem partem: nec una gens illa tantum, quæ vallem colit, verum ceteri Chilensis regni rebelles, Araucani vulgò vocabantur. In eadem valle arcem Araucum opere multo & milite muniverant Hispani, quo tanquam freno barbari coererentur.

Rari ad Christi Fidem hæcenus accesserant, Europæorum aliquot immanitate ac perditis moribus ab ea deterriti; atque aded suis ipsorum vitiis, ebrietate, libidine, magicis artibus, vago illo vitæ genere, nulla certa in sede consistentis; denique opinione populari, quæ omnium animos pervaserat, baptismum letalem esse suscipientibus. Inde manaverat hic error, quod, propter inconstantiam gentis & instam morum corruptelam, non impertiebatur nisi graviter

Partis V. Hist. Soc. Iesu Tom. II.

A a a a

agro-

24.
Boni Aeris Portus. In eo sedes Societati posita. Militare sodalium.

agrotantibus, & in vitæ periculum adductis. Hanc regni Chileni partem inquitissimam primis Sociorum laboribus Provincialis destinat. Missi PP. Honoratius Vecchius, Martinus Aranda, Franc. Vasquius Truxillus. Araucum delati, quam arcem Hispani quingenti cum aliquot indigenarum cohortibus tenebant, milites comitate demulserunt, ne in vitia ferociter ac statim inveci, omnem sibi quasi gradibus eò pervenerint. Operæpretium est cognoscere quibus multos cura esset languidior; pauci ex omni numero electi, ne divisa invallere apud ceteros posset. Ex illis conflata B. Virginis sodalitas, cujus leges conditioni militum accommodatæ fuerunt, ne severitas nimia rudes animos absterret, Idonei sodalitis censebantur, qui pellicibus abjectis, nuncium alacritate, vocibus impiis, & ceteris, quæ fert militaris licentia, flagitiis palam remitterent. Paucorum exemplo plures permoti convenerunt; & omnes uno consensu hanc dixerunt legem sodalibus, ut singulis mensibus conscientiam expiant, & sacro pane vescerentur; singulis diebus operam facienti sacerdoti darent; interessent concioni singulis hebdomadis, & sermones de Deo piisque rebus in loco fererent. Degustata per has exercitationes suavitate virtutis, quam nemo nisi inexpertus fastidit, magnis eam incrementis auxerunt, & ad luendas criminum poenas conversi, jejuniis, flagellis, varioque cruciatu macerare corpora, horas plures orando ducere, pauperibus levandis largiri suas opes, & alienas oblitum corrogare; Dei Virginisque matris laudibus obscenas cantilenas compensare; ubique divinum, quem hauserant pectoribus intimis, ignem spargere ceperunt. Ad Indos quod attinet, qui extra Hispanorum arcem & præsidia debebant, curatum est primum omnium ut præcipui aliquem in locum convenirent, ea spe fore ut vulgus ad eorum sententiam facile accederet. In iis plurimum auctoritate pollebat Libipangus. Ille, ceterorum nomine, cum Patres verba de religione ac pace fecissent, vociferatur se non semel ac suos per causam & nomen religionis deceptos: id unum agere sacerdotes Hispanos, ut Indos conijciant in miseram servitutem: addit convicia, & infortuniorum atque injuriarum ab Europæis acceptarum exempla nec pauca nec levia recenset. Contra P. Martinus Aranda, Chileni sermonis & moris peritus, orare institit viderent etiam atque etiam ne oblatam occasionem pacis ac publicæ tranquillitatis in perpetuum componendæ sua pertinacia corrumpent; paucorum Hispanorum flagitia universæ nationi non esse tribuenda. Promisit datum iri operam ne quid in ipsos deinceps peccaretur; fortunas cunctis, capita, libertatem salvam fore. Non persuasit. Furiosi præcipientesque, cœtu soluto, discessere. Quod verbis nequiverant Patres, hoc vitæ factisque pervicerunt. Ipsorum modestia, comitas, & exempli muta potentique vox oculos barbarorum perstrinxit. Morum integritatem, castimoniam & temperantiam, ignota sibi nomina, obstupescentes venerabantur; præsertim ubi unitam contra vitiorum irritamenta, & immixtas muliercularum illecebras, virtutem cognoverunt. Primus pudore perfusus ad eos accessit Libipangus, veniam protervia postulavit, & gentis proceres rursus ad colloquium perduxit. Sexaginta confluerunt: multo æquiores commodioresque recessere: nonnulli etiam supremo in morbo baptizati. Sed adire dispersos & erudire singillatim, ut infanti laboris, sic emolumentum non magni erat. Quamobrem viculi propè innumeri ad viginti majores pagos redacti sunt. Statim templa condita, in eaque distributi sacre doctrinæ elementa simul perceperunt. Porro quid esset causæ cur iste Libipangus tam graviter de Europæis quereretur, breviter aperiam, & rem paulo altius arcessam.

S. XII.
SERVITIUM PERSONALE SOCIETATIS OPERA COMPRESSUM.

Cum primum fortunata Regum Catholicorum arma religionem in Peruviam invexerunt, impostum vestigal quoddam indigenis fuit, quod Hispanis bene de republica meritis pensitarent. Tributum vocabant, in eoque consistebat ut Indi certam præstarent Hispanis operam, aut fruges & alia id genus tribuerent. Ad eum modum Hispano cuiquam decem tributa; alteri viginti, triginta, aut plura ejus generis assignabantur. Contigit (quæ est indoles avaritiæ semper avida, semper egens) ut Hispani quidam, eo non contenti quod Indi præstabant tributum nomine,

nomine, ab iis obsequia quædam servilia & laboriosam operam exigent; imò illos ipsos, tanquam mancipia vindicarent sibi, cum eorum uxoribus & liberis; & à suis pagis abductos facere opus nulla mercede cogent; quodque vix credibile sit, nonnunquam pretio venderent. Nihil est tam penitus mortalium animis instum quàm amor libertatis. Rei indignitate permoti Chilenses, Tucumani, Paraguaii, jugum Hispanorum excusserant. Invitati ad Christianam Fidem, passim abnuebant, jacturâ libertatis redimendam arbitrati, eamque spectantes haud secus ac fallacis hami escam, quâ semel captâ & voratâ caperentur. Qui verò jam Christianis initiati sacris erant, fugam aut latibula circumspiciebant, & in montium jugis vel paludibus vitam infelicem trahere paucis annis fatius ducebant, quàm servitutem diu servire. Catholici Reges Carolus V. Philippus II. Philippus III. occurrere grassanti malo repetitis diplomatibus pro sua pietate & æquitate studuerant: sed ita labe inoleverat, ut aboleri non posse videretur. Limanus Archiepiscopus, singulari vir doctrina, & probitate, rogatis virorum sapientissimorum sententiis, servitium hoc personale (sic illud appellabant) injustum pronunciaverat, neque dissentiebant Peruæ Proreges. Sed fermè sic usu venit, ut in gravioribus negotiis multi magis fremant, & incusent quod pravè sit, quàm remedium afferre quisquam ausit ac ceteris præire. Nemo unus exortus adhuc erat, qui viam difficilem exemplo complanaret. Demum P. Didacus Torres Paraguaie Provincialis, admonitus à Præposito Generali Societatis, ut nullam interponeret moram exequendi quod æquitas & ratio postularet, confestim Indica mancipia, Chileno Sancti Jacobi collegio nuper donata, manumisit, repensa omnibus mercede laborum idonea. Exemplum, quod omnes desiderare videbantur, pauci sunt imitati, multi datum esse doluerunt: plurimi amicitiam nobis renunciarunt. Societatis homines palam objurgabantur tanquam severioris doctrinæ auctores, novæ theologiæ architecti, hostes reipublicæ. Quin etiam nonnulli, innato mortalibus vitio, qui quod cupiunt, facile sibi verum, justumque esse persuadent, non dubitabant affirmare, usurpatam tot annos consuetudinem, toleratam à regis prætoribus, introductam communi consensu, vim justæ legis, quantumvis reges doctoresque reclamarent, obtinere. Hanc opinionem cum Didacus Torres ac Socii reliqui acriter exagitant, imò contentes de peccatis audire & absolvere qui eam sequerentur, abnuerent, gravem invidiam atque offensionem apud populum susceperunt.

Non tardatus periculo Provincialis pergit in Tucumaniam, ut in ea proderet idem exemplum æquitatis & constantiæ. Cuius provincia Chileni regni ad montium, qui Tucumaniam respiciunt, radices posita Mendozam urbem primariam habet. Regio fertilitate insolita memorabilis est: fertilitatem faciunt nives, quæ solibus æstivis liquefactæ defluunt in subjectam planitiem è montibus arduis, eamque pingui limo fecundant: hinc vini & frumenti tanta copia, ut vicinis regionibus alendis par sit.

Eo cum venisset Provincialis conspexit, non sine intimo doloris sensu, Indos transire turmatim, abreptos in servitutem, viros, feminas, pueros; plerosque omnes nudos, onustos farcinis, inedia confectos & frigore, adeo ut multi inter nives, quibus montes altissimi horrent, exanimarentur. Cepit illum commiseratio tantæ calamitatis. Stationem ponere in urbe Mendoza constituit, tum ut indígenas ad Christi cultum adduceret; tum ut advenas quibus per montium fauces iter frequens in Chilense regnum erat, Christianis subsidiis adjuvaret. Ergo Lopezium Pegnam, & Agnetem Leoniam, cives primarios adit; quid habeat in animo candidè aperit. Censum illi annum, & necessariam ædibus temploque suppellectilem obtulerunt. At ubi consilium fundandæ stationis divulgatum est, populus tumultuari, fremere in Societatem; nihil esse dubitandum, quin si admitterentur Patres, vastitatem & egestatem in provinciam inducerent, ereptis mancipiis, quorum possessione res Hispanorum opefque stabant. Didacus paulum quievit, dum æstus populi resideret. Mox primores urbis alloquitur; docet quanta sit apud ipsos penuria sacerdotum; quanta barbarorum calamitas, ignorantia, destitutio. Movit illos orationis veritas; & spretis vulgi clamoribus,

A a a a 2 Socii

25.
Statio Societatis in urbe Mendoza.

Socii sunt accepti. Ab his mitigata sensim odia populi, & datus æquitati ac pietati locus. Procursum deinde in patentes campos, ubi barbarorum castræ ad ripas fluminum & piscosos lacus positæ, aut per liberos & apertos agros palantes atque errabundæ. Quippe storea levis pro ædibus est, quam humeris impostam huc illuc deportant. Interdum sub terra paululum effossa domum sibi impostam nunt, æstus vitandi causa. Filias suas vendunt viris, à quibus emptæ pro mancipiis & uxoribus habentur: pauperes sponsam annuo labore apud locerum posito emunt; quo quis ditior, eo pluribus conjugibus abundat. Ut primum nostros conspexere, facta est undique fuga. Secuti gregem timidum pastores Evangelici conclamant se non ad imponendam servitutem, sed ad ipsos in libertatem minis impotentibus tenebantur, abrumpant. Quo sermone delinitos statim centum & sexaginta, ex Orci mancipiis, Deus sibi liberos adoptavit. Quatuor facella in toridem pagis erecta. Impetratum denique à senatu regio, ne deinceps extra patriæ fines servitum irent. Beavit is nuncios indigenas; at Europeos dominos, & improbissimos mangones efferavit. Quamobrem delatus in Tucumaniam Didacus Torres, cum in Cordubensi Societatis collegio Indos omnes libertate donasset, incurrit in odium universæ civitatis. Ille verò tantò acrius instare, & in publicis privatisque sermonibus impiam hominum nundinationem, & servitium personale agitare; pœnas graves à Rege, graviores à Superis interminari. Minis addidit fidem aquarum subita fœdaque diluvies, qua urbis adæ plurimæ corruerunt; ventorum turbines procellosi, quibus arbores evulsæ & vastati agri; afflata corporibus pestilentes auras, unde magna servitiorum pariter ac dominorum strages consecuta. His quasi Superum vocibus admoniti plerique se collegerunt: alii occaluerè cœlestibus plagis, & magnam exercendæ patientiæ materiam obtulerunt Patribus, qui vitam gravibus in periculis & summa egestate vix tolerarunt.

26.
Societas oppido
S. Jacobi pulsa,
in urbem S. Michaelis accipitur.

Quanto major numerus mancipiorum erat in oppido Sancti Jacobi, Tucumania capite, tanto gravius offensum est apud cives præcipuos, qui suas opes servitiorum multitudine metiebantur. Ubi de Provincialis adventu percerebunt, amore in odium verso, debacchantur in Societatem, perturbare, ut aiebant, ac miscere solitam omnia. Clamant convelli justissimas & utilissimas consuetudines, Indorum cum Hispanis commercia caritatemque rescindi. Quæ omnia licet facile Didacus & apertè refelleret, nihilominus abalienatum à nobis Episcopum, sacerdotes reliquos communi torrente abreptos, omnia inimica & infesta sentiens, deferendam ad tempus urbem judicavit, Sociosque in civitatem Sancti Michaelis, ipsos evocantem, anno MDCIX. transtulit.

Fanum, sive urbs S. Michaelis, diu cum oppido S. Jacobi de Tucumania principatu certavit: quippe antiquitate præstans, & soli feracissimi bonitate, adeo ut illam primi coloni cum terra Hebræis divinitus promissa compararent. Sed amœnissimæ regioni cladem ac vastitatem inferant immanissimæ tigres. Prorumpunt è vicinis montibus ac silvis, & armenta pariter hominesque lacerant. Cum his olim justo bello decertabant barbari, nec dubitabant feroces belluæ lacessere instructam aciem, & in agmina media profilire. Qui plures earum proferebat exuvias, is imperator pronunciabatur, & auctoritate gloriaque ceteris eminebat: nunc singulas fere adoriuntur, & enecant hunc in modum. Ruenti belluæ baculum obijciunt, cujus extremas partes utrinque validaprehendunt manu. Ea porrò est indoles tigridis, ut quod semel arripuit, mordicus teneat. Ergo ubi unguibus, & hiantè rictu, medium in baculum involavit, tunc venator baculum à dextra in sinistram magna vi celeriter contorquet, simulque tigridem subvertit, & antequam se in pedes erigat, resupinam, qua mollis vulæri patet alvus, confodit. Ceterum videtur omnis feritas ab indigenis translata in belluæ, adeo mites & humani sunt. Itaque morem ultro Patribus bene monentibus gesserunt, & amantissimè in paratam domum acceptis, temporarium templum colatis operis extruxerunt. Eisdem peculiari cura benevolentiaque complexus est Garcias Medina, nobilis ac dives Hispanus, qui pro suo singulari erga D. Ignatium

tium studio privatam illi facellam in suburbano pago posuerat; ejusque alumnos ornare majoribus in dies beneficiis pergebat. Memorem Divum sensit; cujus ope merito credi potest de morte imminente admonitus. Erat atate adhuc vegeta, viribus integris, de obitu parum, de morbo nihil cogitans; cum a P. Didaco injecta mortis mentione monetur ut ad eam se comparet; opinione propiorem esse. Excepit vocem, quæ molesta multis accidit, velut è cælo missam; animum negotiis expedivit; Indis libertate donatis pro servitio personali satisfecit, testamentum condidit: quibus peractis cum valens inter amicos & lætus accumberet, è mensa ad lectum, è lecto ad tumulum statim elatus est.

Servitii personalis iniquitatem & exitia non tam ex oratione P. Didaci Fanum S. Michaelis cognoverat, quam ex diuturno difficilique, quod gerebat cum Calchaquinis bello. Vallem amplam illi obtinebant, ebrietatis, luxuriæ, crudelitatis domicilium. Pacem identidem compositam cum atroci gente abrumpentibus communis injuria servitii personalis. Ad arma demum anno MDCIX. ferocius quam unquam antea conclamarunt. Quorsum evaderet improvisus turbo jure metuebant Hispani, præsertim qui S. Jacobi Fanum incolebant. Trepidantibus, & auxilia circumspicientibus, obtulit se P. Didacus Torres ad pacem resarciendam. Duos è Sociis operi tanto destinat, Joannem Darium, & Horatium Morellum. Accingunt se ad iter & negotium periculosum, post acceptam à Tucumania prætorum potestatem componendæ, quibus videretur conditionibus, pacis. Promittere Calchaquini se ab armis discessuros, modo sibi libertas & incolumitas constaret, ac Societas in sua valle consisteret. In eas leges utrinque jurata pax, & in undecim pagis facella posita. Orantibus barbaris ut Fidei sacramento donarentur; paucis concessum. Delectu habito, adulti ducenti, cum ipso Calchaquina vallis duce, tribusque gentis principibus, baptizati; præter infantes quingentos. Ter vallem totam per abrupta montium cacumina Socii peragrarunt, idola concremantes, evertentes vitia, superstitionem ubique debellantes, inter quotidianas cum sceleratis, furentibus, & ebriis dimicationes; ad necem sæpe expetiti; in media projecti sponte, pro tuendo Christi grege, tela; tranquilli tamen, incolumes, beati. At P. Didacus Torres opus inchoatum de asserendis in libertatem mancipiis urgens, Conceptionis urbem ad lacum fluminis Rubri positam in Paraguaia, petit. Magistratus, cognito ejus adventu & consilio, scriptis ferocibus litteris, oppidi totius nomine, rogant alio iter flectere ne cunctetur. Provincialis nihilo secius oppidum ingreditur; ac magistratui denuntiat nihil se, nec suos, alienum aut æquitate aut voluntate Catholici Regis docere: promittit edicta, metum ostentat, lenitatem aspergit: negat in animo sibi esse omnia Indorum obsequia tollere, sed injicere duntaxat frenum cupiditati, modum avaritiæ ponere. Hac privatim. Eadem publicè vocato in concionem populo demonstrat. Pacata hunc in modum civitate, contendit in Assumptionis urbem, sparsa cursim, quasi semente, doctrina salutari per populos, præter quorum fines transibat, Frontones, Apibones, Mataguos, Naticos, Mogosnos, & Tonocaranos: nec semel impetus fuit in Europam renavigare, ut sacerdotes tot eruditos, tot malè feriatos obtestaretur, ac pereuntium populorum commiseratione moveret.

Post datam terræ continenti operam proxima fuit insularum cura, quæ plurimæ in littore Chilensi. Omnium præcipua Chiloe nuncupatur, quam aliæ minores sexcentæ veluti coronant. Una è regione arcis Araucanæ posita S. Mariæ nomen immerito gerebat. Quippe modico ambitu flagitia omnia complectebatur. Permisti ethnicis neophyti pauci eorum imitabantur vitia & superabant. Huc delati Patres Vecchius & Aranda, promulgatis in frequenti concione Dei & Ecclesiæ mandatis, neophytos sacris mysteriis expiarunt: ethnicos centum & sexaginta, aliosque deinceps spatio quatuor mensium, Christo & Ecclesiæ partos, Christianis moribus & institutis formaverunt, successu tam læto, ut quæ flagitiis insula silvescebat, pulcherrimos ediderit virtutum omnium fructus, & accepta semina fœnore centuplici reddiderit. Chiloe quinquaginta leucas in longitudinem patens, non plus septenis lata, brachii arcuati figuram exhibet. Ager crebris montibus interseptus; cælum frigoribus asperum; solum siccum, arenosum,

&

27.
Calchaquini,
pace instaurata,
erudiuntur. In-
sula Chilenses
lustrantur.

& sterile. Indigenarum tamen familiae olim in ea censebantur ad quindecim milia, oram ferè littoralem colentes: postea servitutis metu in montium anfractus, & vallium latibula profugi, fame ac frigore magnam partem interierunt. Pauci restabant, feris quàm hominibus similiores, adeò ut eos multi mansuescere negarent posse, ac religione imbui. His accensi PP. Melchior Vanegas, & Joannes Baptista Ferrufinus paucorum mensium labore barbariam hanc omnino repurgarunt ab inveteratis erroribus ac flagitiis. Delecti sunt è tota insula pueri, qui per otium in Chileno Societatis collegio exculti, populares suos deinde revivenerunt ac juvarent. Consumptis quatuor in urbe primaria mensibus, Patres penetrarunt in interiorem insulam, & sparsos huc illuc pagos inspexerunt. Vignati quinque omnino erant, nullus sacerdos longo intervallo conspectus. Socios fama jam cognitos, floribus coronati, & compositis in morem trophæorum ramalibus, exceperunt; nec lacrymis utrinque temperatum, præ gaudio. In singulis pagis parumper morati facellum componebant, docebant populum, solabantur ægros, baptizabant idoneos, sedabant jurgia, omnes ad spem beatæ immortalitatis accendebant.

28.

Collegium in
Urbe Assumptio-
nis. Excurio in
Guairaniam.

Constitutis in regno Chileno Societatis domiciliis, P. Didacus Torres in Paraguaiam reversus, domum Professorum in urbe Assumptionis mutavit anno MDCX. in collegium, ex quo scilicet majorem Indos juvandi facultatem forsperabat. Interim PP. Josephus Cataldinus, & Simon Maceta Guairaniam ejusdem Paraguaiæ provinciam perlustrarunt, iter emensi difficillimum per invia nemora, paludes uliginosas, sexcenta hominum, anguium, ferarumque pericula, præsertim viperarum, quarum numerus illic major, & vis, quàm alibi uspiam, acrior. Neque enim humi duntaxat prorepunt, ac vestigiis ambulantium insidiantur, sed in summas etiam evadunt arbores, earumque ramis incubantes impetum in prætereuntes faciunt. Sed neque à viperis, neque à tigris, quarum etiam ingens ibi numerus, tantum est periculi, quantum à veneficis, qui perniciem afferunt certissimam, jactandis in obvios tenuibus ossiculis, spinis, aut lapillis, veneno infectis præsentissimo. Utuntur ferè omnes dæmonibus familiariter. Hanc ræm familiaritatem magno emunt. Abdunt se in antra nudi, jejuni, sordibus & illuvie horridi: donec invocatum crebris precibus dæmonem videant, aut vidisse putent. Ita magicæ artis tirocinium ponunt; eoque nondum exacto, sæpe inedia & ærumnis confecti pereunt. Quosdam exanimat ipse Tartareus animarum prædo, coràm oblatum ingenti cum fragore, scintillantibus oculis, lupino rictu, tota specie ad terrorem composita. Ejusmodi veneficos gens omnis unice perhorrescit. Deum nullum veneratur aut timet. Quid anima post obitum fiat, quorundam evadat, nescit. Patres ad docendum aggressi, ut multitudinem miseram congregarent oppidum condidere, ubi Pirapum fluvium accipit Paranapanæus, ac Lauretum appellarunt in Virginis honorem. Convenerunt amplius ducentæ, quæ locum accolebant, barbarorum casæ. Aliis eodem subinde magno numero confluentibus varia nata sunt oppidula, quibus Christi regnum insigniter amplificatum est.

§. XIII.

PARANENSES ET
GUAICURÆI COE-
LESTI DOCTRINA
INSTITUUNTUR.

EXCIVIT ea fama Paranenses, gentem vicinam, numero, viribus, crudelitate, bellis adversus Hispanos olim secundo Marte gestis, inclytam & formidolosam. Nomen habent à fluvio Parana, cujus ripas insident. Regio amenissima. Perdicum ubique & psittacorum greges volitant. Psittaci Asiaticis multo majores sunt, plumarum colore ac varietate admirabili; ceterum in vocibus humanis imitandis tardiores. Formicæ pergrandes & corpulentæ avicularum instar torrentur, & inter exquisita numerantur fercula. Illis insidiatur quoddam urforum genus, quos eam ob causam vocant formicarios. Caput iis oblongum; rostrum porcino grandius & acutius, lingua cuspidis ritu vibratur. Hanc inserunt sensim in formicarum cubilia: illæ calore ac saliva pellectæ concurrunt, totamque occupant, quam retrahens ursus incautum agmen in avidam alvum demittit: mox eandem iterum iterumque exertans, recentem prædam eodem hamo tandiu trahit, dum ingluviem strage innocentis populi expleverit. Novas quoque piscium formas alit flumen. P. Ruifius visos à se narrat majores bove. Nova in sylvis ferarum

ferarum monstra. Ut ut est de piscibus ac feris, monstra certè immaniora in populi moribus cernere erat. Instam feritatem arte usque belli auxerant. Ferdinandi Ariæ, prætoris fortissimi, aliorumque ducum fregerant copias; Sancti Joannis oppidum Hispanum, ad confluentes Paraguaii & Paranaë conditum, panè deleverant: itinera latrocinii & cædibus habebant infesta. Præstabat opibus & auctoritate inter Paranenles Arapizandavius. Is ubi vicinos Guairanios oppida condidisse, pacem & æquitatem colere vidit, Hispanum Paraguaia prætorem convenit, pacem & obsequium offert, magistros divinæ legis & sacerdotes postulat; denique pollicetur effecturum se se ut gens tota perpetuum cum Hispanis fœdus fanciat. Latus nuncio insperato prætor agit cum Episcopo, & sacerdotes idoneos operi tanto petit. Præsul, cui perspecta gentis feritas & perfidia, negat ire quemquam ad istos hominum carnifices sacerdotem posse; domandos ferro perduelles, non legatione demulcendos. Prætozem perculit hæc oratio. Rogat illum, itemque Provincialis Paraguaia P. Didacus Torres, ne occasione tantæ desit; agi religionis & regis causam; posse pacem, tot quæsitam frustra bellis, tanto sanguine nondum emtram, comparari nullo negotio; & quod extorquere tot anni non potuerint, forsàn uno die confectum iri. Stabat immotus præsul, ac negabat quemquam è suis iturum, nisi militum armis & acie circumseptum. At in me, subjecit P. Torres, nihil esset moræ quin è vestigio proficiscerer, si linguam gentis callerem: unus è meis est eam qui calleat; ibit ille, quamvis collegii cura distractus, & solus ibit. Erat is P. Marcellus Lorenzana, collegii Assumptionis rector. P. Didacus domum redux nostros congregat, rem exponit: tum, *Quem mittam, inquit, & quis ibit nobis?* Cui Lorenzana: *Ecce ego, ait, mitte me:* statimque ad iter se accingit. Cives abeuntem faustis omnibus, & pia prece, ad multa passuum millia sunt profecti.

* I/a. 6.

Non usquequaque vanos Episcopi fuisse metus Lorenzana sensit. Regionem ingressus anno MDCX. lustratisque primoribus vicis, humilem è luto paleisque casam cum adicula exstruit. Excepere barbari sacerdotem insanis clamoribus. Biduum triduumve intemperantissimis perpotationibus consumpsere, inter vociferationes diurnas nocturnasque, cachinnos & ululatus, quos in aliquod erupturos malum apparebat. Turbatus ebrietate & vigilia mentibus nativa crudelitas acrius inarfit: indiciiisque non levibus Lorenzana deprehendit sibi & socio constitutam à sceleratis necem. Nefanda consilia Superi discutere: puduit aliquando furiosos dementia. Modo leniter admoniti, edoctique; modo gravioribus objurgati verbis, baptismum denique rogaverunt. Distulit Lorenzana instantes, anno toto, constantiæ periclitanda causa; nempe gnarus gentis, & usu longo doctus quantum afferre soleat exitii præceps & inconsulta pietas, quæ furculos ex istis oleastris excisos, nulla preparatos arte, nulla morum doctrinaque cultura subactos *inserere in bonam olivam* properat. Id secum reputans frequens admonebat nunc publicè, nunc privatim, quæ Christiani hominis partes, quanta huic nomini sanctitas subesset. Interim accidit ut adolescens, sive sponte, sive compacto, interpellaret concionantem, magna voce quirigans quod tandiu sacramentum salutis sibi negaretur; detestari se dæmonum cultus impios; hoc in votis esse ut filius Dei fieret. Arripuit vocem sacerdos, & magno apparatu adolescentem baptizavit. Aditu sic in Dei domum patefacto, plurimi concordibus animis in eam sunt introducti; prævivere Arapizandavius & Aniangara, nationis Principes.

* Ad Roman. XI.

Hic Aniangara saluti Patribus & neophytis postmodum fuit. Ut in ratione constans quiddam & certum inest; sic in cupiditate nihil non incertum ac mutabile. Hac reguntur barbari, illam non audiunt. Itaque levibus impulsis causis à pace ad bellum, ab otio ad seditionem & extrema omnia traducuntur. Femina Paranenlis clam viro profugerat è patria, baptismi studio. Maritus uxoris fuga efferatus vicinos concitat, Conspirant ad necandum sacerdotem, à quo id consilii profectum existimabant; mox ad Hispanum nomen omne delendum; & ad arma conclamant. Antequam Hispanis tamen bellum indicerent, in eorum socios Mahomas ac fœderatos irruerunt. Agrum populantur, diripiunt pagos, prædam abigunt, captivosque solenni epulo destinant. Lorenzana in medium animo inter-

29.

Patrum periculum & constantia. Oppidum Ignatianum.

interrito progressus, captivos repetit, minas intentat. Rifu & fannis exceptus est: & addidit eorum quispiam brevi adfuturum diem, quum in ejus calva pararetur. Neophyti de pastoris moniti periculo, Aniangaram belli ducem legunt. Huic Hispanorum cohors cum trecentis Indis subsidio venit. Omnes in hostem infestis signis inveciti, aciem inimicam profligarunt. Recedentes in tutiora loca Hispani diu pugnarunt ut secum Lorenzanam abducerent, ne hostium furori expositus restaret: repressi enim tantum erant, non domiti. At ille nullo periculo persuaderi sibi passus est ut nascentem Ecclesiam desereret. Constitit in eodem loco cum suis neophytis: quin, oppidum ac templum opportuno loco posuit, Ignatianumque nuncupavit. Redintegrato bello Paranenses novum oppidum, & Christianum nomen excindere parabant. Collectis undique copiis transferrunt fluvium, loca proxima prædantur. Lorenzana, Deo fretus, omnem tanti discriminis aleam subire decrevit: sacra, ne profanorum injuriæ patant, in tuto collocat; catechumenos raptim baptismo expiat; imbellem turbam vicinas in silvas abdit; quod neophytorum erat militaris ætatis, munit vallo, armis animisque instruit. Ipse vexillum Crucis præferens in hostes fertur. Sed illi subito perculsi metu domum se recepisse nunciantur. Rediere post paulo ferociores, & ferro flammaque latè omnia populati sunt: pergentes ulterius fames & pestilentia cohibere. Neophytorum tamen grex tener est dissipatus: mentes etiam aliquorum à pastore & Evangelio, tanquam auctoribus tot cladum, alienatae. Jam aliis oculis aspiciebatur Lorenzana: male verbis acceptus fuit; pejus quoque plagis ac verberibus. Nihilo factus ille timidior, precando, ferendoque pervicit omnia; gregem dispersum revocavit, oppidum sepit, munivit legibus, moribus ornavit: nullam bene de Paranensibus merendi occasionem prætermisit. Tribus demum captivis morti addictis ab Hispano prætoris imperavit veniam, ac donis ovistos domum remisit. Quo facto indigenas (nam feras quoque tangunt beneficia) sibi conciliavit in perpetuum, viamque facilem stravit Sociis, illuc identidem postea reversis. Non erant humaniores Paranensibus Guaicurais, cum illos adiit Societas anno MDCXI. Accolunt ripas fluminum Paraguai & Pilcomaii; vagum, ut ceteri, genus, & instabiles pagos circumferre solitum. Nuda corpora putidis coloribus à capite ad calcem inungunt. Quo quis gravius olet, vel turpius pictus est, eo videtur formosior, & bello aptior. Ne perhorrescant feras & venena, inter quæ vivunt, ipsis feris & venenis vesci assuescunt. Bello captos hostes mactant aut vendunt, si adulti: imbellem ætatem reservant, & moribus suis informant. Noctu pugnam conferunt. Ducem eligunt, qui fortissimus: fortissimum censent, qui patientissimus: periculum sic faciunt. Suras candidatorum, crura, & brachiorum toros, acubus pungunt; sagittis perforant. Qui nullum voce aut gestu doloris edidit signum, is palmam fert; repulsam ceteri. Porro dux ab illis colitur instar Numinis; præcurrunt eunti, sedentem circumstant, necem imperanti parent. Hispanis gravissimas clades intulerant; idque impune. Tuti scilicet nemorum latebris, fluminibus altis & frequentibus; disposita denique per montium angustas fauces vigili excubiarum custodia. Illic, ubi primum Patres Gonsalvium & Griffium propius succedentes conspexerunt, clamant; jamque in ambos barbara phalanx, ut in exploratores, irruerat, cum sacerdotes intrepidi, ac deliberata morte fortes, per interpretem denunciant qui sint, unde, & quorsum veniant. Dux ipse prodiit ore non truci, & vim prohibuit. Belle res procedebat, cum levi de causa conflatum est non leve periculum. Indo quodam Patres utebantur interprete ad explicandam Fidei doctrinam, & magistro ad linguam gentis perdiscendam. Voces vernaculas ab eo traditas, ut memoriæ facilius mandarent, scripto excipiebant. Incidit barbaris suspicio conscribi à Patribus litteras ad Hispanos, quibus eos docerent situm regionis, vires arma, modos gerendi belli. Proditionem vociferantur, neci dedendos proditores. Sensit Gonsalvius, & opportunè recitavit quidquid scripserat: rursus legendum palam interpreti dedit. Placatis animis, & per istam occasionem de religione distinctius eruditus, omnia fluxere deinceps Patribus satis è sententia. Dux, accepta fide publica, in urbem Assumptionis cum P. Gonsalvio se contulit.

Revixit

Revixit Didacus Torres, auctor expeditionis, quem feralis nuncius, licet falsus, de nece Sociis illata exanimaverat. Sponte se duci barbaro comitem obtulit in patriam revertenti, nullis Hispanis militibus stipatum: quæ fiducia feroces animos ita demulfit, ut eum inter paludes & arundineta humeris deportarent. Statim de oppido condendo egit cum gentis primoribus. Biduo, triduoque totum steterit, collatis unum in locum storeis, è quibus domos suas componunt. Regresso in urbem Assumptionis Didaco, annum totum illic vivere Patres; si vita hæc dicenda inter incredibiles ærumnas. Aer paludosi soli vitio pestilens, aquæ dulcis inopia, infesti viperarum allapsus, incurfus crebri leonum ac tigrum, fetor intolerabilis, tum ex humo cœnosa, tum è corporibus putida piscium pinguedine delibutis. Sed flagitiorum ac barbararum libidinum mephitis longè gravior. Nox ebriorum ululatus personabat, horrorem augente intercalari silentio. Diem conspurcabant Avernales carimonia, ac scelera tenebris Cimmeriis non fatis occultanda. His malis medendi facultas exigua nostris erat, nondum linguæ vernaculæ gnaris. Hæc ubi paululum est cognita, concionem coegere, lustrare mapalia, pueros docuerunt: nam grandiores natu (quæ vis diurnæ consuetudinis est) ita occalluerant, ut eorum animos ferire pietatis sermo vix ululatus posset. Factum operapretium in infantibus ante mortem expiatis: ducis etiam filia divinæ adoptionis dignationem adepta. Impetratum pariter est ne in posterum funera celebrarent mactandis hominibus: aliqua morum emendatio promissa potius, quàm data. Conatus Patrum adjuvit pestis. Chirurgorum, famulorum, ac propè jumentorum munia obierunt. Ea caritas adultos quinquaginta cælo peperit. Cum tamen fructus immenso labori haudquaquam responderet, delibatum est aliquanto post de Sociis revocandis. Sed intercessit dux gentis, ac suæ suorumque voluntatis erga veram religionem pignus, filium Christianis sacris initiandum tradidit. Baptizatus est puer insigni pompa, & à regio prætorum de sacro fonte susceptus. Societas in statione mansit.

Novos addidit Sociis, ad omnia dura fortiter exhaurienda, stimulos recens agmen ex Europa in portum Boni-Aeris eodem anno MDCXI. investum, undeviginti operarii, copiæ subsidiaria. Postquam è navigatione difficili recreati utcumque sunt, continuò in cives, nautas, vectores; Peruanos Chilenosque advenas qui eundem locum frequentant, laborem partiti sunt: maximè vero data operamancipiis, quorum ibi numerus ingens, & fatis commoda indoles. Singulis annis recurrit iste labor, cum ex Africa deportantur. Vix credi potest quantum in istis mancipiis ad Christum adducendis lucri fiat. Sub idem tempus P. Franciscus à Valle in urbem Sanctæ Fidei, decem dierum iter à Portu Boni-Aeris distantem, Societatis coloniam deduxit. Est illa civitas imposita fluvio Quiloasa, ubi se in flumen Argenteum evolvit. In superstitiosis, quæ sunt extirpatæ, consuetudinibus hæc erat altissimis radicibus defixa. Femina inficiebant corpus colore luteo: hæc illis cerussa; hoc pigmentum omni Europæo fuco videbatur exquisitius: nec illo tamen uti antea fas erat, quàm carnem humanam gustassent. Quod si deessent corpora bello capta, refodiebant cadavera, & eorum frustra puellis devoranda præbebant. Fuerat coacta Societas urbem S. Jacobi, Tucumanæ caput, obortis propter *servitium personale* turbis, deserere*. Juventutis protervitas, mores Indorum ad pristina relapsi flagitia, rerum sacrarum contemptus, Episcopum admonere ut Socios omni ope revocandos curaret. Urbem etiam perterruit vulgata fama de spectro terribili. Animam aiebant notissimi civis, sed erga Indica mancipia ferociter inhumani, emersam ex inferis filio se obtulisse, flammis circumdatam, & miserabiliter lamentantem; filium ab ea monitum ut leges de servitio personali constitutas sanctè observaret. Illa ut vim suam obrinerent Societas acriter laborabat: & quamvis magnam idcirco subiret hominum invidiam, nihilominus cognita sensim rei æquitate & gravitate, tanto acceptior probis omnibus evasit, quanto studiosius Dei gloriam, spretis rationibus humanis ac rumoribus, spectavisse comperta est. Sanè ex quo jugum illud *servitii personalis* à barbarorum cervicibus depelli cœptum est, multo faciliores aditus ad eorum animos cœlesti doctrina collustrandos patuerunt.

Partis V. Hist. Soc. Iesu Tom. II.

B b b b b

missi

30.
Vocata Societas in urbem S. Fidei: revocata in urbem S. Jacobi. Variæ excursionēs.

* Suprà. num. 26.

missi Socii, tanquam pacis & libertatis conciliatores, nullo negotio penetrarunt ad Guassanos, Malleos, Huachaffes, Andalgalas, ex iisque plurimos ad Christi facris Crucibus erectis. Fuerant ante paucos annos lustrata regni Chilensis insula, verum cursim, propter assiduas tempestates, quibus constrictum inter exigua scapha, quia majora navigia non ferebat aquor, se committere non dubitarunt, anno MDCXI. ut illas reviserent insulas, steriles magnam partem, & omni orbatas auxilio: indignum scilicet rati eò Christi milites non pervadere, animarum liberandarum causa, quò prædones, quò mancipiorum mangones, ad abripienda in servitutem corpora, spretis tempestatibus per rumpebant. Venere tandem, ac per sex menses Ægæum illud Chilensis oræ pelagus circumvecti, tristes nominis Christiani reliquias, barbarie ac vetustate obliteratas, passim in splendorem restituerunt. In tam ardua expeditione promptum est conjecero quid incommodi tulerint. Sæpe in fluctus turbati: sæpe in silvis pernoctantes, nonnunquam vulsis radicibus & alga longam solari famem coacti: ceteroquin adeo liquidis perfusi gaudiis, ut inter eadem pericula & incommoda sequenti biennio læti lubentesque persisterint. Ex altera parte Didacus Torres ad primariam Chileni regni civitatem bonis moribus formandam incumberebat, in eaque, postulante senatu regio, & urbis magistratu, Seminarium nobilium adolescentum erexit. Instituendi causa fuit, quòd juvenus in parentum ædibus lautè atque indulgenter habita, otio deliciisque marcesceret, quæ sunt blanda vitiorum omnium & exitiales nutricula. Selecti convictores viginti, & paratam in domum deducti non sine pompa, initium contubernio dedere.

31.
Honor B. Ignatio habitus in hac parte America.

Per id tempus, de Fundatore Societatis publicis apud mortales Beatorum honoribus ornato, felix nuncius à P. Joanne Romero allatus ex Europa est. Nihil America ceteris Orbis Christiani partibus concessit: in quibusdam eas vicit. Natarum aliquot ingeniosa pietas eluxit in templo extemporalis, amplissimo & ornatissimo, è velis navium & armamentis construendo. S. Michaelis oppidum apud Tucumanos, per integrum mensem piæ lætitiæ indulsit. Civium studia majorem in modum accendit recens miraculum hominis omnibus membris dudum capti, quem Ignatii nomen imploratum allevaverat.

In Chileni regni oppido principe novem constituti fuerant dies, per quos Societatis conditor in templo nostro coleretur. In eos dies incidebat sacra Divo Dominico lux. Ejus alumni facellum pulcherrimum in honorem B. Ignatii struxerunt, ubi frequentissimo civium concursu Dominicanus orator de illius laudibus egregiè peroravit, præfatus sperare se futurum ut S. Dominicus debitum sibi laudis anniversariæ tempus Ignatio libenter, in recenti ejus gloria, concederet. Facit ea caritas, quæ sancti, & sanctorum imitatores, suavissimè inter se junguntur, ut aliorum honore perinde gaudeant ac suo: sed quantum aliis tribuunt ornamentis, tantum sibi ipsis addunt. In eadem civitate sacerdos gravi læteris dolore oppressus appellaverat ad Ignatium, à medicis necem haud dubiam interminantibus; & ejus imaginem conopæo affixerat. Noctè intempesta vitus inter tenebras clarissima luce micans cœlestis medicus clienti suo salutem promissis dictoque citius dedit. At in urbe Mendoza non sanitatem tantum donavit agros, sed quatuordecim vitæ pollicitus est annos. Promisso fidem eventus fecit. Eiusdem Ignatii chirographum P. Marcellus Lorenzana in Guairania, & Paraguait finibus, tanquam vexillum explicans, insignes de barbaris religionem oppugnantibus, victorias est consecutus. Itaque duo neophytorum oppidula B. Ignatio ante consecravit.

§. XIV.
P. MARTINUS DE ARANDA, P. HORATIUS VECCHIUS, & DIDACUS MONTALBANUS AB HOSTE RELIGIONIS & PUDICITIÆ IMPERFECTI.

EODEM Ignatio duce & auspice pugnarunt, illustremque pretiosæ mortis lauream inter Chilensis regni spinas decerpserunt anno MDCXII. P. Martinus de Aranda Valdivia, P. Horatius Vecchius, & Didacus Montalbanus. Post repressam magna ex parte servitii personalis, quam diximus, iniquitatem, adhuc vexabat plerosque Americæ populos Europæorum aliquot feritas & avaricia. Ne quicquam illi frena injicere tentayerant Catholici Reges repetitis edictis, quæ tanquam

tanquam tela è longinquo missa, ictum aut levem aut nullum perferabant. Id sentiens Peruæ Prorex, Comes Monclarius, miserat in Europam ante quinquennium P. Ludovicum Valdiviam, qui calamitates Indorum, & eorundem funesta de renovando bello consilia Regi exponeret. Philippus III. audito Valdivia, decrevit ut in eos severè animadverteretur, qui servitio iniquo, aliisque malis artibus Americanos Indos vexarent: deinde ut nihil omitteretur, quod ad retinendam inter ipsos Hispanosque concordiam pertineret. Hanc porro fovendæ pacis curam imposuit ipsi Valdiviæ, cujus prudentiam & magnitudinem animi, tum è Proregis Peruani litteris, tum ex ipsius oratione moribusque coram perspexerat. Ut vero majori auctoritate regiam simul & Christianam rem gereret, eum Chilensem Episcopum creari voluit. Ad hujus dignitatis nomen Valdivia, instituti memor, cohortuit; neque ullis precibus imperiove adduci, ut annueret, potuit. Igitur molliori titulo cohonestatus, tanquam pacis arbiter, & Chileni præsertim regni, ad sublevandos Indos, regis nomine Visitator, in Americam remissus est. In eam cum auxiliaribus Sociorum copiis anno MDCXII. pervenit, & regium de faciendâ pace decretum promulgavit. Felix rumor fessos accipiendis inferendisque cladibus barbaros ad spem otii & tranquillitatis erexit. Primum Cataramnæ, ac vicinarum aliquot vallium incolæ postularunt ut, si veræ essent quæ nunciabantur, non recusaret ipse Valdivia cum gentis primoribus in congressum & colloquium venire. Data utrinque fide, properat ex arce Araucana certum in oppidum, quò proceres quinquaginta convenerant. Ad quos affurgens, Nemini vestrum, ait, latet quemadmodum in Chileno regno hæcenus versatus sim. De salute animarum vestrarum unicè sollicitus, nulli nocere, prodesse omnibus, quantum in me fuit, semper studui. Bis in Peruam, semel in Hispaniam, vestra causa navigavi. Pacem mihi vobisque optatissimam inde refero. Rex Catholicus utilitatis & salutis vestræ, quàm suæ vel rei vel famæ cupidior, præteritas injurias æterna oblivione conteri, pacem in perpetuum componi jubet. Id ut ipsi quoque velitis rogo, ac libertatem, otium, tranquillitatem, Regis nomine spondeo. Sub hæc recitavit Philippi litteras; ac pacis comoda, belli calamitates, exposuit: suam ac Sociorum in iis erudiendis, & ad sempiternam felicitatem perducendis, operam prolixè obtulit.

Hac oratione, his litteris, promissisque ita commoti sunt omnium animi, ut obortis lacrymis manum ejus exosculantes, ore uno conclamaverint se facturos imperata, & in Regis potestate semper futuros. Latus Valdivia cogitare, secum cepit de mittendis ad eos extemplo Societatis hominibus, linguæ peritis, qui bene cœpta confirmarent. Acciditque peropportunè ut ad eum per idem tempus venirent ex urbe regni primaria duo Socii, ad operam barbaris navandam, Horatius Vecchius & Martinus Aranda, strenui cultores animarum, sermonis & locorum gnari. Antea nihilominus tentare placuit & conciliare quosdam castros, seu regulos, qui longius aberant & latius imperitabant, ac dolosam pacem suspicati, ad eam cunctabantur accedere. In iis præcipui tres erant, Aganamon, Ainavilla, & Utablama; maximarum factionum & populorum duces. Aganamon, ut ceteris audacior, ita prudentior, diplomata regia voluit accuratius expendere. Accepta fide, Patres invisit, omnibusque perlectis & pensatis, in verba Regis & pacem jurat. Quin provinciam in se suscipit remotiores populos idem ad foedus perducendi: jamque in oppida interiora, negotium ut pacis urgeret, discesserat, cum inopinatus casus barbari animum à pace ad bellum, à lenitate ad feritatem, convertit. Illo absente tres ejus pellices, una Hispana olim bello eapta, & aliæ duæ barbaræ, ad Hispanos confugerunt, ibique baptismum susceperunt. Id simul atque rescivit, ad Hispanorum arcem trepidè revolat, mulieres reposcit; minatur extrema quæque, nisi restituantur. Illæ negant se redituras. Patres invitas & jam Christianas neque reddi, neque pristinis vivere moribus posse docent, simulque mitigare barbarum conantur. Excanduit Aganamon, ut est amor, foedus præsertim, præ ceteris animi perturbationibus impotens: sed ut certius ultionem & gravius pararet, dissimulavit, ac pacem verbis agitare perrexit, Eam constantius fidelisque coluit Utablama, Elicuræorum dux, cujus

B b b b b 2

filium

32.
Patres ad faciendam cum barbaris pacem mittuntur.

filium in Hispanorum arce captivum Ludovicus Valdivia permutaverat cum alio captivo, liberumque parenti remiserat. Provocatus tam dulci beneficio Utablama nullam interposuit moram quin ad regium pratore & Patres accurreret. Stipabant medium sexaginta proceres. Praebant gentis sacerdotes quindecim, alga marina redimiti, & cinnami ramum gestantes manu; hæc apud illos fetuenerabilis, Patrem Ludovicum Valdiviam, in limine obvium, blanda ferocitate inveniens, *Non me, inquit, huc adegit Hispanorum metus, quos terrere ac vincere didici. Sexdecim Chili regni pratores, a me sæpius debellati, dicent tibi quis sum. Nunc tuo beneficio & humanitate victus pacem accipio iis quas dixisti conditionibus, & in posterum sanctè servabo.* His dictis ramum cinnami pratori porrigit, à quo vicissim alterum accipit, cum donis amplissimis. Post mutuos amplexus, subito clamore promulgata pax fuit inter Hispanos & Elicuræos, ipso die Virgini sine macula conceptæ sacro, in arce Paicava. Omnibus ad concordiam & securitatem ita compositis, visum est impune mitti posse Socios in remotissimas regni partes. Dissentiebant nonnulli, cum dicerent timendos barbaros *vel domo ferentes*: odia inveterata non extinguere facile, sed tanquam occultatos paulisper ignes, occasione data, reviviscere. Aganamomem fovere cacum vulnus, & nisi receptis pellicibus, aut ultione parata, nunquam de pace consensurum. Non committendum ut Patres, in tanta paucitate, manifestum adirent periculum, quod mora & prudenti cunctatione vitari facile poterat. Alii contra differebant religionis negotia humanis non esse ponderanda momenti; nullum esse timori locum oportere, ubi salus hominum & gloria Numinis ageretur; liberali quadam fiducia provocandos barbaros ad servandam in promissis fidem; ita sentire Patrem provinciam præpositum: idcirco missos PP. Arandam & Vecchium; eos ad subeundum quodlibet periculum esse paratissimos, & nihil nisi signum expectare. In hæc sententiam propendebat Valdivia; cui prator non invitus assensit.

At Patres, ut fructum suæ pietatis uberiores caperent, eam sibi Missionem interposito sanctæ obedientiæ præcepto imperari postularunt. Illis adjunctus est, domestici ministerii & auxilii causa, Didacus Montalbanus. *Profecti sunt V. Idus Decembres, pratore, civibus, cohortibus regis, longe extra arcem, honore ergo prosequentibus.* Ducem illis obtulerat se se Utablama, ratam pacem hoc maximè pignore futuram affirmans, si Societatis homines, velut ejus fidei iussores, produceret. Ut ventum ad Utablama oppidum est, populum & casiquos è vicinis adductos pagis, adeo benevolos, adeo quietos nati sunt, ut à principibus tam felicibus, tam inexpectatis omnia secundissima sibi adpromitterent. Jam quintus illuxerat dies, jam nunciis quaquaversum dimissis invitandas ad pacem gentes disjunctissimas curaverant: ipsi constructo sacello, initium explicandæ fidei Christianæ fecerant; cum subito apparet minax equitum globus. Trepidare qui aderant; pars fugam, pars arma corripere. Brevi periculum & periculi causa patuit. Aganamomem, cum ducentis equitibus procurrens, pellices à Patribus repetit. Idem, quod antea, respondent, Minæ & gladii intentantur. Utablama tueri conatur pios hospites, dumque vim repellere vi parat, caduntur aliquot casiqui, promiscua plebs telis configitur. At Patres, ubi se unos peti scilicet intellexerunt, amovent Utablama, Aganamoni occurrunt, quem dum placare bonis verbis, æstuantem amore atque ira, incassum conantur; dum pro mulieribus pretium, quantum censeretur æquum, offerunt; ille, dato suis signo, insontes atque impavidos mactari jubet. Excepere genibus nixi vim implant. Contusa & comminuta fuere capita macanis: sunt eæ clava quædam, è duris confectæ stipitibus, ac ferreis cuspidibus præfixæ. Humi stratos & exanimis lanceis confoderunt. Cervicibus præcis, spoliata cadavera: quæ P. Ludovicus Valdivia studio erepta sunt sceleratorum ludibriis, & ad urbem deinde Conceptionis deportata; ubi in templo Societatis, ad altaris primarii latus condita fuere. Hunc in modum heroes magnanimi, quod pellices impuro Principi reddere negarent, debitam Fidei ac pudicitia defensæ coronam adepti sunt XIX. Kalendas Januar. MDCXII. Quædam singulorum propria subtexo.

Villaricca, sive Urbs dives, oppidum Hispanorum in Chileno regno haud obscurum fuit, à rebellantibus postea Indis captum destructumque. Hic natus loco nobili P. Martinus Aranda, P. Ludovici Valdivia propinquus erat, unde illi etiam Valdiviæ cognomen interdum additur. Ab illustri stirpe indolem optimam, & ingentes animos, atque adeo spiritus militares hauserat. Itaque, pueritia exacta, bellum secutus, turmam equitum ducavit, nec nullam ab arte bellica laudem collegit, majorem etiam à prudentia. Quas dotes cum in eo provinciæ gubernator animadvertisset, Riobambensi coloniæ deducendæ regendæque illum præfecit, ac majoribus ornare præmiis parabat, cum Deus à caducarum rerum amore abductum, ad honoris sempiterni & immortalis gloriæ curam vocavit, Societatem amplexus anno MDXCII. & in humili rei domesticæ adjutorum gradu delitescere cupiens, animum ad studia litterarum, quæ puer primoribus duntaxat labris degustaverat, appellere juberetur. Molestum viro, triginta jam ac tres annos emenso, stadium ingressus, illud celeriter, quæ erat ingenii felicitate, percurrit. Auctus sacerdotio, & populares suos adjuvandi cupiditate flagrans, iter ad Ciucos suscepit; ad quos P. Michael Urrea jam profectus erat*, ut illi adjutor in re gerenda foret. In viam se dedit adversâ & incommodâ tempestate cum aliquot indigenis: qui superatis per dies decem præruptis rupibus, & nemoribus profundis, fracti labore ac difficultate deterriti, alius aliò diffugerunt. Relictus cum uno alterove comite Aranda iter nihilo segnè profectus. Jam quadragies flumen Zupimarim tranaverat, collo tenuis plerumque in aquis demersus, cum idem hibernis imbribus solito altius supra notas elatum ripas, spem omnem ulterius progrediendi ademittit. Eò accedebat locus infalubris, aer infectus tabanis, humus cerastis ac viperis; denique rerum omnium inopia. Coactus itaque per easdem difficultates, ac majora discrimina, regredi, morbo ærumnisque confectus, Camatam oppidum, unde discesserat, vix attigit. Ibi vires attritas resciciens, eidem itineri laborique se præparabat, cum allatum est de nece à barbaris illata P. Michaeli Urrea, deque profligata spe religionis apud Ciucos propagandæ. Igitur Limam revocatus, inde in regnum Chilense transit, ubi menses aliquot cum P. Vecchio, in Araucanis erudiendis, & grassante dein pestilentia sublevandis, collocavit: donec præclara mors ejus virtutibus cumulum & coronam imposuit. P. Horatium Vecchium, Italum, non generis tantum, quod inter Senenses illustre habuit, sed virtutis quoque splendor eximius commendavit. Alexandrum VII. Pontificem Maximum cognatione attingebat, quæ causa fuit P. Gabrieli Cossartio, ejus necis imaginem, egregiis versibus depictam, offerendi dedicandique eidem Alexandro VII. * In Societatem adscriptus Romæ anno MDXCVII. in Americam trajecit anno MDCIII. Decursis in collegio Limano philosophiæ ac theologiæ spatiis, Chilenses Araucanos excoluit. Præter communes illi cum Evangelii ministris dotes, doctrinam, precandi studium, sitim servandarum animarum; enituit in eo singularis amor pudicitæ, quam illibatam cælo intulisse fertur; tum præcipua erga Reginam virginum pietas; demum prudentia, quæ parem illum summis muneribus olim administrandis, si vitam Superi annuissent, præstitisset. Annum ætatis attigerat quintum & trigésimum.

Didaco Montalbano Hispanum genus, patria Mexicum fuit. Stipendia in Hispano exercitu facturum venerat in Chilense regnum, ubi vitam, quamvis in militari licentiâ, severioribus Christiana pietatis legibus adstrictam duxit: adeo ut per Quadragesimam carnes, licet eo loci ac temporis militibus regiis legitime concessas, nunquam attigerit, secundo pane arido contentus. Araucum delatus, & nostrorum ibi degentium permotus exemplis, illorum se devotum obsequio, ac vitæ institutum idem adamavit. Voto potitus, post annuam in infirmis quibusque ministeriis obeundis periclitationem, in tironum numerum venit, ac sexto post die ad triumphum, veteranis emeritisque Christi militibus deferri solitum, felicissimè pervenit.

Trium heroum improvisa crudelisque cædes consilia publicæ pacis paulum inturbavit: quæ postea nihilominus, eorum, ut credere est, patrocinio instaurata, & ad optatos exitus perducta sunt. Barbari male sibi consilii bellum agitabant:

33.
Quædam singulorum propria.

* Suprà. n. 11.

* In Poemate Heroico Parisiis edito an. 1656. cui titulus, Imago Vecchiana.

34. Quatuor novae sedes in regno Chileno. Guaicuraeis pax & Societas reddita.

tabant: nec segnius Hispani arma & ultionem meditabantur. Hos repressit Valdivia; illos ad concordiae studia rursus flexit. Utque novis pacem & religionem praesidiis firmaret, quatuor Societatis domicilia in finibus hostium collocavit. Primum, cui deinde collegii nomen accessit, in urbe Conceptionis posuit. Sedem temporariam apud Araucanos in perpetuam mutavit. In ea singulis diebus Dominicis ovile Christi viginti, ut plurimum, vel triginta capitibus, per baptismum augebatur: idque non sine apparatu, dispositis etiam tormentis bellicis, ut renati ex aqua & Spiritu Sancto recentem, quam erant adepti, dignitatem intelligerent; & alii ad eandem capeffendam stimulerentur. Tertia sedes in Bonae Spei arce collocata fuit, hostibus proxima. Chiloenfes quartam acceperunt, in primaria insula, cujus viginti quinque pagi uberem dabant colonis Evangelicis campum: neque illo se nihilominus continebant, quin laborem & fructum in quadraginta circiter insulas hujus Chileni Archipelagi dividerent.

His quatuor sedibus constitutis, P. Ludovicus Valdivia decem millia Indorum, quae triste servitium apud heros immites tolerabant, asseruit manu. Hanc enim à Rege potestatem habuerat; cujus etiam auctoritate ac nomine vexatores miseræ gentis coercuit. Nec destitit invitare ad pacem rebelles, & omnia moliri, quibus regnum bellis attritum recrearet. Optatissimus vero illi accidit adventus ducis Guaicuraeorum, pacem offerentis, si Societas sibi suisque redderetur. Ita promissum est quod petebat, si conveniret cum suis in eundem locum, seque Christianis moribus institui pateretur, pristinae crudelitatis oblitus. Accepit conditionem: dati sunt Patres Petrus Romerus, & Antonius Moranta, qui refecto facello & casa, quantam potuere maximam multitudinem in unum compulerunt; ac pecuniam ferè omnem à Rege Catholico ad necessarios usus suos ex arario numeratam, contulerunt in emenda munuscula barbaris conciliandis. Adfuit coeptis felicibus tutela Superum praesens, in primis Deipara Virginis, cujus ope vel obstinatissimorum ethnicorum frangebant pertinaciam, duritiam vel perditissimorum mollebant. Itaque illi *Maria debellatrix* nomen imposuere.

35. P. Xaverii Urtafi simillima Xaverianæ mors & virtus.

Bacchata late anno MDCXIV. per omnem Peruam lues, in Paraguaiam contagio saeva fluxit. Ea sublatus est, dum agris ministrat, P. Martinus Xaverius Urtafus, annis & virtute florens. Pompeiopolis natus, S. Franciscum Xaverium, quem sanguine attingebat, moribus proximè consequi studuerat. Amplum enim patrimonium, spes honorum pulcherrimas, & matrem acriter obstantem dimiserat, ut Societatem complecteretur. Ambienti unam ex Indici provincii obtigerat Paraguaiam, quamvis reclamantibus medicis, ac valetudini parum firmæ timentibus. Linguae Americanae cognitionem adeptus, operam neophytis & catechumenis utilem in Guairania navavit, at minime diuturnam. Vix enim elapso sesquianno, pestilente morbo prostratus, non dissimilem Xaverianam mortem oppetiit, omni humano subsidio nudatus. Et vero non dissimilem Xaverianam vitam vixerat, quae spatii brevitatem maximam amplitudine virtutum ac praesertim singulari virginitatis illibata gloria, patientia laboris, salus animarum inexhausta siti, studio paupertatis & obedientiae, compensaret. Non semel post obitum visus dicitur eo corporis habitu, quo Indis explicare solitus erat religionis elementa. Diceres illum è caelo delapsum, ut sublevaret paucitatem Sociorum, & nondum satiatam Apostolici laboris expleret famem. Satis constat casiquum quendam ab eo in somnis de noxa gravi, quam sacerdoti non aperuerat, monitum: testatusque est P. Antonius Ruisius, cum aliquando marore dejectus ob solitudinem & alia incommoda jaceret, visum à se illum fuisse, amictum veste radiantem, ac porro monuisse ne desponderet animum, sed praemiatum strenuis Dominicae vineae colonis parata cogitaret; ac statim, medio caelo discedente, conspectam sedem regiam, auro micantem & gemmis, in qua P. Martinus Xaverius confideret; mox auditam vocem, quae illius gloriam inter caelites praestantem indicaret. Sane magna patientiae ac proinde meritum leges, divinaeque propterea consolationis egens, per id tempus oblata Patribus est ab avaris vexatoribus Indorum, quos in servitutem abducere perseverabant, reluctantibus omni ope Socii, & Guarambaram sedem idcirco deserere coactis. Illis ob eandem

eandem causam infestissimus in Guairania supervenit canonicus Paraguaiensis, cui data inspiciendæ regionis erat cura, vacante sede. Multa in Patres confinxit, ut neophytos ab illis alienaret: P. Antonium Ruifum provincia depulit, & in urbem Assumptionis, nescio quæ crimina purgaturum, ad sanctum tribunal ire iussit; nihil denique prætermisit ut Patribus amotis, servitii triste jugum Indis liberis imponeret. Id cum maximè moliretur, ictus à vipera mortem obiit. Quidam Indorum primores, quos consiliorum socios adsciverat, quatrinduo cuncti perierunt; & redux ab Assumptionis urbe Ruifus litteras à sacris quæstionibus, innocentia suæ testes amplissimas attulit.

Exeunte anno MDCXIV. P. Didacus Torres provinciam Paraguaia septem annis gubernatam, & plurimis auctam domiciliis, tradidit P. Petro Oniato. Debetur hæc P. Didaco laus quod immensam terrarum vastitatem, Europa dimidia prope parem, cura studioque complexus, liberum religioni per incultas antea regiones & obstructas iter traverit; paucis quidem, at strenuis commilitonibus in partem laboris Evangelici vocatis. Quippe successum sacrarum ejusmodi expeditionum non censebat hominum multitudinè contineri, sed virtute; ac Præpositum Generalem Societatis identidem admonebat ut non obvios quosque, sed viritum lectos submitteret; neque istius Apostolicæ militiæ cupidos desideriorum sterculis, sed antea vitæ fructibus æstimeret. Hac adhibita cautione phalangem instruxit lectissimam, cujus felix labor implevit Americam, fama vero Europam ipsam pervasit. Ea cum ad aures Summi Pontificis accidisset, Paulus V. Sociis gratulatus, ad Episcopum Chilensem scripsit ut illos pastorali fovere pergeret cura, & sibi expensum ipsi ferret quidquid in eos favoris ac beneficii conferret.

Res tam longè, tam feliciter, P. Didaci solertia & pietate provectas auxit ac promovit annus MDCXV. in ea potissimum Americæ parte, quæ inter fluvios Paraguaium & Paranam latissimè porrigitur, & quam ante quinquennium nonnulli è Sociis sacra semente conseverant*. Sed ut in silvestribus locis atque incultis spinæ & arbuta semel succisa facillimè regerminant; sic in barbaris mentibus vitia, & innata consuetudines, quæ putabantur extirpata, brevi revirescunt. Tantum proficis in eo genere, quantum colis. Hunc Americæ tractum obtinent præcipuè Paranenses, Itapuani, Guairani, & Guaicuræ. Omnium ferocissimi Paranenses erant, eorumque immanitatem expertus non semel P. Rochus Gonsalvius, qui non procul ab illorum finibus degebat in oppido Ignatiano, remque ibi Christianam administrabat, cum vexatos ab iis quotidie crudellem in modum suos neophytos cernebat, statuit omnia periclitari ad eos expugnandos. Igitur Cruce armatus, & imagine Beatissimæ Virginis, quam ethnicorum debellatricem, uti diximus, appellabat; assumit secum aliquot Christianos locorum peritos, ineunte anno MDCXV. & è portu D. Joannis solvens, licet reclamantibus Hispanis, ac certum vitæ discrimen denunciantibus, adverso devehitur Parana. Barbari cognito ejus adventu, facilem victimam adesse gratulantes, occurrunt, clavasque & arcus expediunt. Dux vultu torvo Gonsalvium despectans exclamat, Quis tibi furor suavit, hominum audacissime, huc procedere, quò tot Hispanorum cohortes penetrare ad hunc usque diem non potuerunt? Nemo Europæus hæc tentavit arva, nisi ut ea suo sanguine saginaret. Idem te præmium manet. Nam si novam religionem & novum Deum, ut audio, traditurus ades, injuriam mihi facis, qui aliud præter me Numen nec scio, nec volo. Gonsalvius, obfirmato in omne periculum animo, & implorata ope Beatissimæ Virginis, cui sacer dies, nempe quartus Nonas Februarias, agebatur, in hunc modum respondit: Si nociturus venissem, arma, comites, & alia, quæ belli usus postulat, comparassem: nunc venio ut salutem tuam ac tuorum sempiternam consulam. Hoc si possum consequi, nulla pericula, ne ipsam quidem necem defugio. Pauca subiecit de uno supremoque Numine, de lege Christiana, de moribus & humanitate, ad quam ipsa nos natura finxit. Audire barbari dicentem; & orationis veritate dicentisque confidentia permoti, non tantum abstinuerunt ab injuria, sed aliqui se ultro socios itineris & stipatores adjungere.

His ducibus in pagum celerrime pervenit, ubi agebat animam infans, qui

raptim

36.
Quales debeant esse operarii Evangelici. Variè Miliones repetita.

* Suprà. num. 28.

raptim baptizatus, ad cœlum, orator popularium suorum futurus, evolavit. Progressus in vicinum pagum, alteri pariter infanti salutem attulit. Successu incipiam, locum eminentem ad piscos lacus ripam, & stationi ponendam opportunam. Hunc obtinebant casiqui quatuor, seu gentis Principes, quos arte multa & eloquentia delinitos eò perduxit, ut se Societatem accepturos promitterent, ac præaltam Crucem attolli paterentur. Hæc repentini belli velut signum fuit. Coeunt ad eam deturbandam accolæ, hostes religionis & Hispanorum conjurati. Prælium conferitur. Itapuanum circa Crucem agmine instructo compositi, dum eam acriter, & plus quàm barbara tumentur fide, hostes grandi clade afficiunt, nullo è suis desiderato. Quo portento attoniti, vim Crucis à Gonsalvio celebratam sentire, communique consilio decreverunt Christo se totos dedere. Paraguanum pro-prætor Franciscus Gonsalvius, ejusdem Patris Rochi Gonsalvii germanus frater, qui Didaci Marini Negronii prætoris nuper demortui vices obibat, laudata fratris constantia & pietate, diploma dedit, quo Societati amplissimam faciebat potestatem oppida condendi ac templa, remque publicam & Christianam in Paranensi provincia vicinisque locis constituendi. Hujus diplomatis auctoritate fretus ad oppidum construendum se accingit. Favebat locus; amœnum & fertile solum, salubris aer, portus ingens, quem lacus efficiebat: tum pagi complures in vicinia, unde populus frequentandæ civitati pereretur. Templo ad culmen perducto, effigies B. Virginis aræ fuit imposita, novis civibus læto vocum concentu plaudentibus. Exinde Paranensis provincia cœlorum Reginae patrocinio tutata stetit, ac Virgini ab angelo salutata dicata, sub tanti nominis auspiciis hæcenus feliciter perseverat. Res tum accidit permira, quæ plurimum valuit ad illustrandam religionem. Emersi è Tartaro generis humani hostes dire antea sævebant in Itapuanos: at ex quo divina res in recenti templo est facta, ne in conspectum quidem venire sunt ausi. Nec tamen occultis artibus eniti destiterunt, ut bene cœpta disturbarent; concitarunt seditiones, calumniis Patres in suspitionem & odium vocare conati sunt; magos, præstigiatores, veneficos, quæ natio illic magna & potens, commoverunt. Ex quo intelligi potest quæ pericula Sociis fuerint subeunda: & quas simul, faventibus Superis, ab hominum hoste victorias reportarint.

Supra Itapuanos jacent Guairani, & Guaicuræi; si tamen habitare alicubi dicendi sunt qui per immensa illa terrarum spatia temere, qua libido tulit, errant. Duo in Guairania, ut memoravimus, à Sociis fundata oppidula ab iisdem regebantur, Lauretanum & Ignatianum. In utroque sexcenta circiter capita, non toto anno, pestis abstulit, sed Ecclesiæ sacramentis expiata. In mortuorum locum successerunt mille quadringenti barbari, è nemoribus ad vitæ societatem traducti, & catechumenis adscripti. Nongenti, paucis demptis, à servitute demonum in Christi libertatem baptismo asserti; plures legitimo juncti matrimonio. Præcipua gentis vitia tam diligenter profligata sunt, ut per annum integrum, utroque in oppido unus duntaxat victus vino fuerit; & hunc neophytorum primores acerbis multatum flagris diuturno carcere incluserunt, optando Europæis in urbibus exemplo. Data quoque opera ne puellæ advenis venderentur: cumque unam Hispanus à neophyto vellet emere, sponderetque se rem Patres celebraturum; Quid, subjecit neophytus, Deumne pariter celare poteris? Infans morbo confectus ac deploratus, accepto baptismo, repente convaluit. Alter, qui animam egisse putabatur, contactis S. Ignatii sacris reliquiis, aut vitam aut valetudinem recepit. Eadem sacri baptismi virtus Guaicuræos exitiali opinione liberavit. Ita quippe sibi persuaserant, primum religionis & vitæ Christianæ sacramentum certam suscipientibus necem asferre. Verum, ubi animadversum est pueris adultisque plurimis baptismo suscepto mansisse vitam, vires restitutas, & confirmatam valetudinem fuisse, pestifera persuasio sensim obsolevit. Nec nihil profecit ad eam evellendam P. Romerus, baptizata insigni venefica, quæ oriunda è Frontonibus, & apud Guaicuræos captiva, in morbum inciderat. Egrotanti nescio quid obsonii delicatioris assiduè submittebat; quæ caritas demulsit animum

animum perditæ mulieris. Oravit baptismum, magicas artes & scelera deposuit. Hic vero magnus barbarorum ad Patrem factus est concursus, orantium ne mulierem sacro latice tingeret, ne in æde sacra sepeliret: futurum enim ut post mortem in tigridem, aut si quid est in terris violentius, conversa, omnes laceraret. Putabant enim sceleratorum animas in feras eo terribiliores; quo ipsi pejores extitissent, migrare. Ridiculum commentum Pater explosit, ejusque falsitatem demonstravit eventus. Eodem anno in Chilensi regno multi ex Araucanis, Zumbellaniis, Cararaianis, aliisque populis, abjurato bello, pacem auctore, P. Ludovico Valdivia, cum Hispanis, similiterque cum Deo per Christum, sanxere. P. Melchior Vanegas, Chilensis Missionis præfectus, inspexit triginta & quinque insulas, quibus hoc pelagus constitum est: trecenta & octo capita vitalibus aquis perfudit. Interim rebelles Osorniani, alique vicinæ continentis populi, legatione ad Chilensem prætorem missa, Christianum sacerdotem ac pacem expetiverunt, iis quas Valdivia proposuerat, legibus, si milites & arma Hispana removerentur. Ivit sacerdos, concordiæ studium fovit, quingentos in Christi nomen & familiam adscivit.

BRASILIA, pars America Australis, ab ostio fluminis Amazonum, & altero infra Æquatorem gradu ad sextum usque & trigessimum, ubi flumen Argenteum in mare deolvitur, versus meridiem excurrit. Clauditur ab ortu & septentrione, oceano; ab occasu, Perua; à meridie, Paraguaia. Detecta fuit à Lusitanis anno MDI. quinto Nonas Maii, quo die Inventionem adorandæ Crucis Ecclesia recolit. Hinc regioni factum nomen sanctæ Crucis. Postea tamen usus evicit ut è rubro ligno infectoribus perutili, quod Lusitani Brasillum appellant, & frequens in ea nascitur, Brasilia vocaretur. In partes quindecim, sive præfecturas, tota dividitur. Prima, circa ostium fluvii Argentei, dicitur Præfectura Regis. Altera illi vicina, præfectura sancti Vincentii, sive Piratiningæ; tertia, progrediendo similiter à meridie ad septentrionem, præfectura Fluminis Januarii; quarta, Sancti Spiritus; quinta, Portus Securi; estque in gradu latitudinis decimo sexto. Sequitur Insularum præfectura; tum Præfectura Bahya, sive sinus Omnium Sanctorum, ubi Soteropolis, id est, Civitas Servatoris, primaria Brasiliæ. Octava præfectura Serregippenfis dicitur; nona Pernambucensis, in gradu circiter nono ab Æquatore; decima Tamaracæ; undecima Paraibæ; duodecima Potengiense, sive Fluvii Magni; tertiadecima, Siarenfis; quartadecima Maranonia; quintadecima, Parentis. In Brasiliam Societas venit anno MDXLIX. * Ac initio quidem non parum negotii habuit in erudienda & cicuranda feroci gente ad cædes prona, hominibus vesci assueta, projecta in crapulam & Venerem: adhæc instabili, & sententiam, uti domicilium, mutare solita; dedita veneficiis, & è præstigatorum fabulis mendaciisque suspensa. Brevi tamen cœlestis gratiæ beneficio, & pluribus in dies colonis accedentibus, ferini mores ad humanitatem virtutemque traditi sunt. Anno MDXCIII. tribus in collegiis constituta, Societas erat: stationes variis in locis ac Missiones partim certam & fixam habebant sedem; partim huc atque illuc procurebant. Cum vero magnam afferret Evangelico labori moram advenarum avaritia, quæ gravia barbaris imponebat onera, iisque tanquam mancipiis abutebatur, significatum est tertiodecimo Kal. Aprilis anni MDXCVII. regium momenti longè maximi mandatum, quo prohibebatur ne quis Lusitanus indigenas abduceret in servitutem. Hic enim metus cum Brasillos alienabat à Lusitanis, tum etiam à Christianis absterrebat facris, & armabat pro tuenda libertate, quæ mortalibus vita carior est. Non solum promissa barbaris libertas fuit; sed pacis oblata commoda, quibus illi & rem Lusitanam pariter & Christianam magnis auxerunt incrementis.

§. XV.
RELIGIO INTER
BRASILOS PER
SOCIETATEM
PROPAGATA.

* Vide I. Partem
Hist. Lib. IX.
n. 85. & seq.

Ea spes initum antea cum Carigiis fœdus magnopere confirmavit. Illi Brasiliæ partem obtinent, quam S. Vincentii præfecturam vocari diximus, ceterisque Brasilis præstant proceritate corporis, dignitate formæ, ac pudoris humanitatisque majori quodam sensu. Scissa fuerat pristina cum ipsis concordia feritate nonnullorum Europæorum & injuriis: jam canebar classicum irritata gens, & prima crudelis belli murmura fremebant. Duobus Societatis hominibus data fuit provincia

37.
Carigii, Gaymures, alique
Brasilorum gentes ad pacem &
Fidem adductæ.

vincia refarciendæ pacis, Hanc ultro suscipere tot animarum exitio permoti, quarum salus in pace, perniciis in bello & discordiâ. Superatis qui objiciebantur undique obicibus, ad eos anno MDXCVI. pervenerunt, Legati statim ad Tacaragnam, gentis principem missi, Paulò post ipse adfuit cum lecto suorum agmine. Cœrulea vestis stuebat ad pedes; acinaces pendeat è latere; Crux è pectore, serico demissa filo. Ut venit, Patres perhumaniter complexus, ingemuit illacrymans. Tum sacellum ingressus, gratias illis, quòd ad se se venissent, egit; de illatis sibi injuriis questus non leviter est, & indicem utriusque manus, in decussim compositum, subjecit barbæ (hoc illis argumentum summi doloris & iracundiæ.) Nunc, ait, adventu vestro mitigatus fovere pacem cum Lusitanis constitui, meosque omnes per baptismum filios Dei fieri volo*. Dicitis addidit facta, pacisque fidem ac pignus dedit suum filiolum Patribus, obsecrans ut reverterentur quamprimum, ac totius populi obscurarent voris, cui nihil optatius, quàm doceri viam cœli; daturum se operam interea ut passim aedes sacræ construerentur. Vix discesserat, ac Patres, confecto feliciter negotio, læti navim conscendere parabant, cum subitus aures nuncius percussit, adesse dynastam ex ultimis finibus, Patrum adventantium fama excitos, & fœdus celestemque doctrinam postulantes. Ductos & excitatos à Superis apparebat: ita veterum offensionum obliti, nihil nisi de pace & religione cogitabant. A sacello dimoveri non poterant, expleri que audiendo verbo Dei, Traditis primocibus Fidei elementis, dimissi sunt cum bonâ spe futurum ut brevi ad eos venirent alii sacerdotes, à quibus per otium docerentur, Unus ex iis regulis, qui nihilo inferiorem Tacaragna se prædicabat, suum pariter filium nostris obtulit, eumque ut filium Dei facerent obtestatus cum lacrymis est, Nondum illi abierant, cum alii supervenere, quos de nostrorum adventu P. Dominicus Garzia, & de pace curaverat admonendos, Quadringenti circiter præiverant reliquis, longo & difficili circuitu, ad vitandas hostium insidias, quas tamen effugere nequiverant. Sed commissâ pugna, superiores ex acie discesserant: ceterum ita fracti & prælio atque inedia debilitati, ut agrè quod restabat itineris confecerint. Venere tandem, Primum ducebant agmen juvenes, arcu & sagittis instructi; feminae sequebantur cum filiolis; in ultimo agmine viri bellatores. Dux reliquis eminebat, operto plumis discoloribus capite, gladium humeris impositum, & lapillos virides coloris exquisiti, labris affixos gestans, nobilitatis insigne. Ut Patrem Garziam vidit, corruit ad ejus pedes, diuque flens humi jacuit. Quem ille attollens & benignè amplexus, in sacellum duxit, tympanis ac fistulis læto strepitu concinentibus. Mox ad universam multitudinem sacerdos verba fecit. Concionem interturbarunt lacrymæ, vocesque sacrum baptisma postulantium. Concessum est nonnullis, qui paratiores videbantur, quique adoptionis divinæ compotes facti latitiis omnibus incedebant, quòd in filiorum Dei numerum essent adscripti. Nec dubium erat quin vicinæ gentes exemplo tanto permotæ, in eandem cœlestis Patris familiam, si libera commercia pax aperire pergeret, convenirent. Sanè haud ita multo post* præter expectationem Christiana susceperunt sacra Gaymures, natio ferocissima, & pridem Lusitanis infensa, cum quibus per annos amplius triginta bellum internecinum gesserat. In hac ad pacem fidemque perducenda divinam licuit Providentiam admirari. Ductæ Soreropolim mulieres quædam captivæ fuerant, Earum una sic moribus Lusitanis assueverat, ut amaret exilium. Venit in mentem experiri, an ejus opera mitigari natio ferax posset. Mittitur ad suos populares cum munusculis: narrat quam benevole à Lusitanis ac liberaliter tractetur; eorum placidos mores, humanitatem, & facilitatem commemorat. Læti, & inemptis muneribus ditati, aures dicenti accommodarunt. Rediit cum eadem esca, & persuasit cognatis aliquot suis ut Soreropolim accederent, multo majora scilicet accepturi dona. Ut venerunt, sequè in Lusitanorum potestate ac manu deprehensos agnovere, dirigerunt metu, rati non aliter secum actum iri, ac solebant agere ipsimet cum Lusitanis, quos vivos videntesque devorabant. Sed postquam comiter accepti, vestibus, annulis, gemmis vitreis, cultellis, quæ cara barbaris & pretiosa, donati sunt; metu in ad-

* Ut filii Dei nominemur & simus. I. Joan. Ep.

* Anno 1600.

mirationem & amorem verso, domum ovantes redierunt: Ibi dum munera liberis affinisque dividunt, pellexere quinquaginta juvenes ad periculum idem munificentiae Lusitanæ faciendum. Similiter accepti reliquos ad feriendum cum Lusitanis foedus impulerunt, ac per Christianos distributi pagos, in disciplinam Societatis curamque traditi sunt. Eiusdem gentis pars altera debebat in praefectura qua Insularum dicitur. Vastaverant regionem, & impiæ crudelitatis metum latè spargebant: cum uni è nostris rei domesticæ adiutoribus injecta cogitatio divinitus est expugnandæ hominum feritatis. Linguam eorum utcumque perdidit: pergit cum sacerdote; infestos ac minitantes alloquitur è cymba, disserit de pace, munera ostentat. Iis deliniti, evocarunt eum in litus; ceteros, qui erant in eadem navicula, exscendere vetuerunt. Satis intelligebat non uno barbaræ crudelitatis exemplo doctus, quàm exigua perfidis habenda esset fides. Nihilominus ope divina fretus, & petita prius à socio sacerdote veniâ, exscendit in litus. Accurrunt arcibus positus, de pace suadentem audiunt, munusculis ornantur. Postquam ita comparatos aspexit, hortatus est ut aliqui ex ipsis secum venirent, tanquam legati & feriales, ad faciendum foedus nomine ceterorum. Tres accipit, quos pollicetur eundem in locum postredie reducendos, cum donis amplioribus. A Lusitanis adhibiti humaniter, & onusti donis ad suos reversi sunt, cum Patribus aliquot Societatis. Prætexebat littus promiscua virorum ac mulierum turba. Plausu & clamore insolito redeuntes legatos amplexi, magnas Patribus, magnas Lusitanis gratias egere. Tum legatorum Princeps sagittas complures ab iis qui aderant arripit, & earum cuspides frangit: hoc signum pacis apud ipsos pignus certissimum. Mox, vocata concione indictoque silentio, verba facit, foedus constitutum declarat, Patres esse concordiae sequestros ac fidei iussores; iis patronis ac tutoribus nihil meruendum. Tum vero cerneret effusus ruere omnes in sacerdotum complexum; senes oscula figere, juvenes afferre laxos arcus & solutos: matres filios baptizandos offerre. Barbarorum pars redeuntes Soteropolim nostros consecuta est; inde alii, atque alii confluxere. Omnes unum in pagum collecti sunt, cum nonnullis Brasiliis, usu longo jam cicuratis. Crux ingens in medio locata pago, quam certatim humeris vectarunt; assignatus ager quem colerent & exercerent. Electi demum qui excurrerent in vicinas silvas, & pacem cum Lusitanis pactam nunciarent. Venere complures. Deducti similiter in pagos, ac brevi tempore agnorum ritu mansuescere visi sunt, qui modo luporum instar, cædè hominum ac sanguine pascebantur.

Alii quidam, prope sinum, sive praefecturam Omnium Sanctorum, à popularibus suis, inter Lusitanos olim versatis, videbantur accepisse Christianos ritus, & eorum adhuc rudia quaedam vestigia retinebant. Nam parvulos abluebant illi quidem, sed baptismi forma non utebantur. Viris omnibus nomen JESU; feminis, MARIÆ imponebant. Norant figuram Crucis, mysteria Crucis ignorabant: nec deerant sacerdotes, iique cœlibes, cum summo quodam Pontifice, quem Maximum Patrem appellabant; eique minores alii sacerdotes obsequabantur. Ars præcipua sacerdotum & eruditio erat magice. Obsoleta quaedam carmina recitantes concurrabant domos, iisque misera plebs arbitrabatur expiari se se, ac divinam quandam sanctitatem animis infundi, adeo ut reliquos præ se populos despiceret. Ad hanc gentem profecti Patres X. Kalend. Octobr. anni MDCII. iter asperrimum corripuerunt per densa nemora, immensum ac sterile camporum æquor, vel montium inhospita cacumina. Cibum diu præbuere stelliones, aut eruti saxi mures, interdum ranæ in lamis deprehensæ. Sed cruciatus à siti gravior, sub æstuoso & sicco cœlo. Vitam tot inter labores ægrè servatam quin eriperent barbari, ad quos ibant, parum abfuit. Quippe hominum adventu cognito, eorum carnibus exstruere feriales mensas decreverant, & armis instructi obviam procurrebant extra pagum. Sed inspectis, qui Patres comitabantur, Brasiliis, tela & vim abstinerunt. Feritatem etiam lenivit oratione apposita sacerdos, in medium agmen quadraginta juvenum, qui arcu contento velut ad pugnam accincti stabant, fidenter progressionem. De religione sermonem

38.

Prisca religionis inter Brasilios vestigia; ejusdem recentes victorie.

cum intulisset, summum suum Pontificem arcessivere. Venit armorum greges stipatus. Occurrit venienti pagus omnis, cantiones quasdam alternis, barbaro concentu, modulans. Ivere pariter obviam Patres, & abjectum humi, sublati in cœlum oculis, dispanfis manibus, invenerunt. Assurgens illos salutavit humaniter, utque cum ipsis colloqui postmodum posset oravit. Nihil poterat nostris accidere jucundius. Adfuerunt bene mane ad locum colloquio destinatum. Orationem ille incipit copiosam de suis virtutibus; colere se silvas, ut profanum vulgus fugeret: soli sibi datum, ut quæ sunt vera discerneret à falsis, alia id genus plurima occinit. Horas plures dicendo jam consumperat, cum affecti tædio Patres interpellant, & modestè de se pauca, de Deo plura, & magnificentè, disserunt. Senex auditurum se aliàs istæc libenter professus, discessit, neque tamen unquam ad colloquium est reversus. At Evangelii præcones nati alios ad audiendum paratiores, illis persuasere ut secum Soteropolim contenderent, illic per otium erudiendi facilius. Dederunt se omnes in viam, quæ multos inedia, siti, æstu debilitatos in grave periculum adduxit. Sacerdos unus è nostris conspicatus Brasiliam humi jacentem, viribus fractum, & ab aliis, qui præcesserant, destitutum, allevat, imponit humeris; colligatas ejus manus colloquio inferit, pedes cingulo adnectit. Onustus pia sarcina paulum perrexit, addentes animos caritate; sed cum ipse longa fame exhaustus langueret, sudore frigido manare cœpit, & onus abjicere coactus est. Illud resumpsit, quiete interposita recreatus; & baculo incumbens, montem vix superavit. In descensu plus laboris fuit, urgente pondere, virgultis obturbantibus, pungentibus spinis. Unâ cum onere procidit, & per asperum saxi clivum ad vallem imam pervolutus est. Mirum ambos millies non fuisse obritos. Multa nocte ad reliquos salvi pervenerunt. Sic boni Pastoris exemplum secuti Patres perditam ovem imponebant humeris, & ad caulas reducebant, ubi *cibaretur pane vite, & aqua sapientiæ salutaris potaretur* *. Ita porro disperitæ inter ipsos laborum vices erant, ut alii certis in locis confiderent; alii huc illuc expatiarentur animarum causa. In collegio Bahyensi, seu Sancti Servatoris debebant sex & quinquaginta; in adjunctis oppidis, seu stationibus collegio vicinis, septemdecim. Verfabantur undetriginta in collegio Fluminis Januarii, totidem fere in Pernambucensi, totidem in circumjacentibus pagis. Amplam de miseris mortalibus bene merendi materiam per idem tempus suppeditavit Bahyensi collegio sava lues, quæ visis per noctem sereno cœlo facibus, & diro cometarum fulgore denunciata, brevi sic urbem totam pervastavit, ut singulæ domus totidem nosocomia viderentur. Non modo animorum saluti, sed etiam incolumitati corporum, à nostris omni ope provifum est: quidquid in domestico penu fuit, totum, rectoris jussu, quasi expositum populo, & in egentes collatum. Magna porro, ut in publicis fere calamitatibus ulvenit, facta passim ad pietatem accessio, magna edita pœnitentiæ documenta. Ac Præfecturam Insularum & Societatis sedem gravior omni pestilentia piratarum incurfus expugnavit ac diripuit: templa solo æquata, sacra supellex pedibus contumelata, nullum in res sanctissimas genus contumeliæ prætermisum. Compenfavit hanc utcumque cladem nova gens ad Christi imperium adjuncta. Penetrarunt sacerdotes quatuor tunc primum ad Amopyras, nationem indomitam, & reliquis ut arte jaculandi, sic immanitate præstantem. Sex alii sacerdotes ad ignotos longè populos iter impeditissimum susceperunt, per torridas æstu solitudines & infestas siti, qua extincti fuissent ad unum omnes, nisi demissa miserante cœlo pluvia facultatem & arcendi præsentis periculi, & aquæ in reliquum iter colligendæ præbuisset. Dynastes fama religionis & sanctitate permotus, ad Lusitanas descendit urbes, ut oculis ipse usurparet, quæ auribus acceperat, & Christiana instituta pertentaret. Dum in Spiritus Sancti oppido commoratur, incidit in morbum. Ejus curam gessere Patres diligenter. Quæ caritate sic ille deliquit, ut exclamaret non egere parentibus qui Patrum in tutela foret. Confirmata valetudine domum reversus totum se cum suis Christo dedit. Idem sentiebant Carigii, ad quos rursus profecti erant sub finem Septemb. anni MDCV. PP. Joannes Lobatus, & Hieronymus Rodericus, cum duodecim Brasiliis domi nostræ pridem

* Eccl. XV.

pridem institutis. Progressi ad lacum ab Anseribus dictum, ubi populus numerosior, Cruces erexere, struxerunt adiculam, inter fœdas tempestates ac tonitrua, quæ ab humani generis hoste concitata, ut religionem everteret, apparebat. Quod illi non licuit, hoc insana unius hominis cupiditas tentavit. Collegerant Patres toto triennio ducentos Carigos; deducebantque plenius erudendos in vicinis oppido fluminis Januarii pagos, ubi magnam Brasilorum copiam Societas accuratè formabat ad officia Christianæ virtutis. Vidit civis præpotens; occurrit neophytorum inermi turbæ, cum armata militum manu; invadit imparatos ex improviso; comprehendit, abducit in servitutem. Exclamantibus ad nefas indignissimum Patribus minas intentat: pergentesque in urbem, ut iudicium appellarent æquitatem, cogit iter abrumpere; dum infelices victimæ aliæ alio pertrahebantur, crudelibus dominis mancipandæ.

EXPEDITIO ad Brasilos Maranionos anno MDCVII. suscepta luctuosum pariter anno sequenti exitum habuit: si tamen infelix & luctuosus dici labor potest, quicumque ad majorem Dei gloriam, & salutem animarum suscipitur; qui si nonnunquam successu frustratur suo, præmio certè suo frustrari nunquam potest. Maranionum flumen, cujus aquas excipit amnis Amazonum, accolunt ignoti & feroces populi, ad quos nondum pervadere potuerat Evangelium. Miseris *in mortis umbra sedentibus* * inferre divinam lucem placuerat, viamque adhuc intentatam & sexcentis obstructam periculis, aperire.

Duo præ ceteris difficilem hanc provinciam expetivere PP. Franciscus Pintus & Ludovicus Figheira. Pintus annos quatuor & quadraginta natus, longo cum Brasilis usu, & virtutum, quæcumque strenuum divinæ legis ministrum commendant, exercitatione spectatus: Figheira, ætate quidem junior, multis tamen à natura & gratia dotibus instructus, ac pari servandarum animarum cupiditate flagrans. Brasilos igitur aliquot Christianos itineris periculosi duces adhibent, qui non tantum monstrarent viam inter vastissima ignoti & inculti soli spatia, silvis aspera, montibus abrupta, serpentibus obsita, fluminibus intercisa; verum etiam, qui prægressi ad mapalia suorum popularium (ut facilius inter ejusdem gentis homines convenit) sternerent aditum Patribus, & mentes barbaras præpararent. Ea ratione ingentem Brasilorum numerum Franciscus Pintus antea revocaverat ab aggressi atque immani vita, & ad humanos mores cultaque loca perduxerat. Eadem spe accensus pergit alacer ad Maranionos. Sæpe ferro fuit recludenda per invios saltus via; sæpe transmittenda fluminum incerta & limosa vada. Vulsæ radices, colubri, & lacertæ levabant famem; sitim fetentes lacunæ solabantur. Gravissimum adire periculum ab iis anguibus quos Indi veros vocant, quasi reliqua serpentum turba, præ istis, parum digna hoc nomine, parumque formidanda sit. Ac ceteris quidem tanquam delicatissimo vescuntur cibo, ad istorum conspectum cohortescunt, propter veneni vim immedicabilem: cujus quasi conscia natura ejusmodi anguibus in extrema cauda folliculum apposuit, instar tintinnabuli. Inde sonus editur, cum se movent, hominesque periculi commonefacit. Sed abditos & quietos effugere difficillimum; nam in herbis vulgo delitescunt, & vestigiis pratereuntium imminet. Itaque, cum in herbosa planitie viam carperent Patres, extulit repente caput improvisa pestis, & juvenis Brasilus letifera petitis lingua, paucis post horis, in ipsorum conspectu occubuit. Hos inter labores luctati sunt annum integrum, non sine singulari solatio. Quippe occurrebant identidem indigenæ, cum munusculis, & coctis mandiocæ radicibus, quæ illis dapes opiparæ sunt; quodque longe gratissimum erat, JESUM & MARIAM canentes. Interdum eodem in loco subsistere coacti ut vires debilitatas rescicerent, hoc quaecumque otium impendebant erudiendæ miseræ plebi, quæ Christianis olim imbuta præceptis, modo erroribus vitiisque silvescebat, colentium penuria. Et Patrum votis ac labori fructus respondit, ut eos hac potissimum de causa illud iter Dei nutu ingressos appareret.

Latent sæpe viros Apostolicos Numinis consilia, ut aliud sæpe agant quàm quod animo destinaverant: instrumenta Dei sunt, tractanda utentis arbitrio: id unum ipsis providendum est, ut ex ipsis apti suspensique manu, & ad omnes regen-

§. XVI.

P. FRANC. PINTUS à BRASILIS CÆSUS.

* Matth. 4.

39.

Viri Apostolici Numinis instrumenta.

ris moventisque ductus expediti sint. Documento erit hoc è multis unum. Haud parum negotii Patribus erat in detrahenda circulatoribus fide, qui mendacis astrophis venditandis quaestuosam illic artem exercebant. Horum unus, ut aegrotanti adolescenti faceret medicinam a matris parentibus accitus, immanem edebat strepitum, quo vel optimè valentibus cerebrum obtundebat. Porro medicina omnis in hoc uno vertebatur, ut languidi corporis partes alias atque alias exsugeret, affirmans humores noxios, morbi causam, a se hunc in modum educi utque fidem dicto faceret, purulentas ex intima pectoris immundi cloaca sordes eructabat fragore tanto, ut pagus omnis circumsonaret. Hoc murmure admoniti Patres accurrunt. Juvenem cernunt insanientis medici artibus multo gravius laborantem, ac pane extremo confectum spiritu. De salute sempiterna, & necessario ad eam sacramento differunt. Audit: persuadent; baptizatur, moritur. Sexcenta id genus gratiae caelestis miracula singulari voluptate illos affecerunt. Sed hanc lætitiā valde temperavit metus à vicina gente, per cuius fines transseundum ipsis erat, & cuius complures pagos Lusitani paulò ante vastaverant, edita ingenti hominum strage. Hærebat adhuc infixā in efferatis animis ultionis cupiditas, & ad Lusitanum nomen internecone delendum conspiraverant. Hic stimulus acuebat innatam crudelitatem, qua vicinos omnes anteibant, adeo ut præter formam, humani habere nihil dicerentur. Cum deerant hostes, aut advenæ, quos mactarent, in se se invicem avidis dentibus aut ferro sæviebant. Nec solum carnibus hostium diram explebant ingluviem, sed amicorum etiam ac parentum, quibus mortuis pascebantur, & quorum ossa in pulverem redacta populis feralibus miscebant; pertinere hoc ad pietatem existimantes, ut vivis sepulcris intra se conderent illos, quos habuerant in vita sanguine aut amicitia conjunctos; idque multo esse honestius, quam si defoderentur humo, à verribus consumendi. Hoc tamen hostes inter & amicos discrimen ponebant, quòd hostium carnes crudas; amicorum, costas vorarent. Necessarium ad Brasīlos Maranhonios per hæc hominum monstra iter erat. Pintus, ad horridas mentes demulcendas, aliquos è suo comitatu Brasīlos submittit. Truces, taciti, cædem anhelantes occurrunt: vixque sibi temperarunt quin imperum in eos facerent. Ergo istis celeriter omissis, Patres ad alios paulo remotiores viam siccunt. Nichilo plus apud istos profecere. Muneribus Patrum acceptis reposuerunt minas, tela intenterunt.

Supererant postremi, qui tertias montium obtinebant fauces: illos donis majoribus expugnare placuit. Collectum quidquid rudes mercium Europæarum oculos allidere consuevit. Major Brasīlorum numerus, qui legationem obiret, missus. Crevit accensus donorum aspectu furor; & humanæ dapis, quam omnibus donis anteponebant, fames. Legatos retinent, obruncant; epulisque gentilibus destinant. Nec ita multo post, facto agmine ululantes de proximis montium culminibus præcipitant, & sagittarum imbrem effundunt in Christianos, qui cum Pinto erant. Illi orare pacem magnis vocibus; obtestari ne se hostium ducerent loco; populares suos agnoscerent, ac præconem legis divinæ sacerdotem. Barbari vocibus inconditis tumultuantes respondent nullum sibi fœdus unquam cum albis (sic Lusitanos appellant) fore, & iugurium quo Pater se, precandi causa, receperat, diruunt. Prodit Pintus vultu ad modestiam, sermone ad mitigandos furentium animos composito, si leniri ferina rabies potuisset. Loquentem invadunt, unumque de ipsius comitibus Brasīlis, validius obstantem ut eum sceleratis manibus eriperet, incussa capiti clavâ sternunt. Ceteri nequaquam resistendo pares, alius aliò diffugiunt. At phalanx impia in unum irruens Pintum, vestribus ligneis comminuit caput, cerebrum excutit, corpus exanimum spoliat. Inde ad diripiendum tugurium concurret. Sacra sacelli supellectile, ac munusculis, quæ non istos in usus attulerat, lati ovantesque portantur: cadaveri præter morem pepercerunt. P. Ludovicus Figheira, qui tunc fortiter aberat, cum se à furiosis perquiri cognovit, in obscurum evasit nemus, & vestigantium diligentiam, Deo protegente, fugit. Postquam recessisse barbarum agmen vidit, collectis è fuga Christianis, reversus est ad cadis locum, ut sodali caris-

carissimo iusta perolveret. Lacrimis primùm parentarunt & multo gemitu, cum immanem carnificinam cernerent, respersam Patris optimi cerebro humum, oculos suis sedibus erutos, obtritum caput; adeo ut vultum in vultu quærerent. Abluunt fœdatam tabo cœnoque faciem, componunt rigida membra, & inter mistas fletu preces, terrâ mandant. Unus è fustibus, quibus caput illi fuerat contusum, pio insectus cruore, in Bahyense collegium est delatus, monumentum crudelitatis; solatium nostrorum & incitamentum. Hac mercede scilicet, hoc necis pretio salus animarum paratur; & Figheira hoc ipso tempore ad Brasiliam morientem evocatus, cum illum baptismo expiasset, in eundem cum P. Francisco Pinto tumultum intulit: ut viri fortis necem præsentis præmio muneratam à Superis appareat. Lusitanus erat: natus Angræ, quæ civitas est insulæ Azorum Tertiæ. In Societatem acceptus pridie Kal. Novemb. anni MDLXVIII. totos triginta in Brasiliis erudiendis annos consumpsit. Magno pectori Brasilia, quàm latè patet, angusta videbatur. In ejus provincias interiores quater aut quinque evagatus, uberrimos prudentiæ, pietatis, ac patientiæ suæ fructus ubique cepit. Iis cumulum beata mors addidit. Hanc illi non obscurè P. Josephus Anchieta prædixerat, cum graviter laborantem invisens anno MDLXXXII. surgere iussit è lectulo, & mortis, quam instare medici denuntiaverant, omisso metu, de vita in proximorum salutem per multos adhuc labores fortiter infumenda cogitare. Surrexit, valuit, & vitam in sextum inde ac vigesimum produxit annum, eamque fortunato, ut modo retulimus, exitu III. Idus Januariæ anni MDCVIII. clausit.

MULTA id genus prodigia occurrunt in vita P. Josephi Anchieta, quem ævi sui thaumaturgum appellare non immerito possumus. Obierat undecim ante P. Pinto annis, ac peculiari Superum nutu Brasiliæ datus, eam virtutum exemplis, & rerum gestarum gloria, per annos quatuor & quadraginta valdè illustraverat. In insula Tenerifa, Canariarum, seu Fortunatarum maxima, editus in lucem anno MDXXXIII. Conimbricæ liberalibus disciplinis eruditus, ibi se Deo in Societate Filii ejus dedicavit anno MDL. ætatis XVII. Religiosæ vitæ stadium ingenti animo ingressus, cum ad virtutis perfectionem summa contentione nitetur, valetudinem vehementer debilitavit, & in gravem incidit morbum. Hunc depellere cum ars nulla posset, profectus est anno MDLIII. de medicorum sententia, in Brasiliam: nam Brasiliæ cœli bonitas laudabatur, & magna spes erat longinquo ac maritimo itinere valetudinem perditam restitui posse. Adhuc Socii Lusitani quærebant adolescentes non minus ingenio & eruditione, quam virtute præstantes, qui collegii propediem in Brasilia ponendi fundamenta jacerent.

Huic rei nullus aptior Anchieta visus. Itaque primus è Societate, in isto ignorantia & immanitatis quasi domicilio, Latinas litteras & studia humanitatis docuit. Cum vero necessaria discipulis librorum copia non suppeteret, huic incommodo magister suo labore subveniendum ratus, ereptum somno tempus libris exarandis consumebat. Adjecit etiam animum ad Brasiliam linguam perdiscendam, & eam præceptis atque arte complexus, magnam illius cognoscendæ facultatem obtulit Evangelii præconibus, qui vulgo in molestissimis barbaræ linguæ salebris hæere solent. In eorundem gratiam dialogos conscripsit, quibus omnia Fidei mysteria explicabantur: item sacerdotum institutionem, ad interrogandos de peccatis confitentibus; & ad eos juvandos qui mortis in discrimine versantur: demum pia carmina sparsit in vulgus, quorum ope lascivas excludit cantiunculas, & religionis arcana illectis cantus voluptate auribus animifque feliciter instillavit. Et quoniam servire potissimum pietati atque hominum salutem debent litteræ, quando præsertim à religiosis traduntur magistris, rem tentavit hætenus in his regionibus inauditam, successu miro. Grassabantur impune apud Brasilos infanda criminum portenta, quorum fœditatem ne videbant quidem, tantus erat stupor; tantum animis per se jam hebetibus callum consuetudo mala obduxerat! Incassum artes omnes adhibebantur. Quid enim agas, ubi fax rationis tam malignè allūcet? Oculis erudiendos Anchieta judicavit, qui oculis & sensibus omnia ferè metiebantur: tragoediam exhibere constituit.

§. XVII.
VITA, OBITU, &
VIRTUTES P. JO-
SEPHI ANCHIE-
TÆ.

natur

natur scena sub dio, actores inducuntur: concurrunt barbari visendi cupiditate, nec desunt Lusitani: nam utroque sermone scripta erat fabula. Negotium bellissimè procedebat, cum subito atris nubibus cœlum obtegatur: jam grandes stillabant guttæ, & fugam omnis cavea trepidè circumspicebat. Procedit Anchietæ, & magna voce, præsentique animo, moveri quemquam loco vetat; futurum ut ante fabulam peractam imber non decidat. Ea vox veluti cœlo missa excipitur: sedere spectator quietus pergit, fabula peragitur, plaudente populo, barbaris admiratione defixis. Tenuit spectaculum tres horas; eo absoluto imber, velut antea constrictus ac suspensus, statim ingenti fragore prorupit.

40.
Ejus expeditiones
Apostolicæ,
& prima spiritus
prophetici do-
cumenta.

* A Capitania de
Rio Janeiro.

His aliisque id genus rebus, & vitæ sanctimonia perspecta, visus est idoneus, etsi nondum sacris Ordinibus esset initiatus, qui ab umbra puerilis scholæ, in solem & campum procurreret. Igitur additus sacerdoti comes atque interpretis, obire barbarorum casus cepit: & continuo divina quædam in eo virtus, & felix rerum postea gerendarum omen enituit. Primum specimen in seno barbaro dedit. Is amplius centum annos natus, quod iis in oris minime insolens est, ubi Anchietam audivit de mundi opifice, & beata immortalitate per Christum nobis reparata, disserentem; tanquam ex alto somno evigilans, tanta lætitia perfusus est, ut filios nepotesque continuo in eandem adduxerit scholam: ipse, post acceptum primum Ecclesiæ sacramentum, in magistri divinitus oblato complexu præ gaudio gestiens animam senilem deposuit. Prophetici vero spiritus, quo ceteras inter dotes potissimum Dei famulus excelluit, prima in coorto per id tempus bello documenta præbuit. Est inter præfecturas S. Vincentii & S. Spiritus ea cui fluvius Januarius nomen dedit*. Locum frequentem incolis & nobilem infederant anno MDLVIII. hæretici à Gallia profecti, duce Nicolao Durando Villaganonio, equite Melitensi, & navium Gallicarum in ora maritima Britannia minoris præfecto: qui prolapsus in Calvinianam hæresim, illam inferre in Brasiliam parabat, hortante Calvino, & asyllum ibi suis destinante, quibus in Gallia tunc nihil satis tutum erat. Eo consilio dux hæreticus naves à Gaspare Colinio, summo rei maritimæ præfecto, & novæ sectæ patrono potentissimo impetraverat. In Brasiliam delati Calvinistæ arma cum Tamuyis, gente Brasilia Lusitanis infensa, junxerant, & insulam, quæ sinum Januariensem præcingit, occupaverant. Sed eâ, quadriennio post, dejecti se receperunt in Galliam cum Villaganonio, qui cognito doctrinæ recentis vitio ad præscam & catholicam Fidem deserto Calvino rediit. Interim Tamuyæ, licet à Gallis destituti, retinebant arma nihilominus, & odia: nec stolidi, ut prius, ferocitate, sed consilio & arte tractabant bellum, eoque majorem metum afferebant. P. Emmanuel Nobregæ barbarem gentem oblata ultro pace placandam facilius existimans, quam armis domandam, in Tamuyarum fines contendit cum Josepho Anchietæ, ut otium & concordiam inimicæ & inquietæ genti persuaderet. Cum longas negotio moras injiceret tum levitas barbara, tum locorum longinquitas, per quam sebat ut à Lusitanis fera, nec satis certa responsa perferrentur, ad eos proficisci Nobregæ statuit, ut rem coram urgeret; ac Josephum, velut obsidem, reliquit. Ille medios inter hostes remansit, non tam ipsorum crudelitatem, quam vitia, tetralque libidinum formas pertimescens, quæ oculis quotidie obversabantur. Hæc monstra, hos animorum hostes, ceteris omnibus multo metuendos magis, debellare studuit assidua cœlestium rerum meditatione, jejuniis, ærumnisque voluntariis ad necessarias adjunctis: præsertim vero implorata Virginis Matris ope, cujus etiam laudes, ne vacuas à labore Apostolico & subsecivas horas disperderet, neve periculoso torperet otio, carmine celebravit: erat enim eximie natus ad pangendum carmen. Mirabantur barbari ejus in quotidiano capitis discrimine tranquillitatem, cum sæpius neci addictus negaret fidenter se ab illis interficiendum: nec de sua tantum affirmaret incolumitate, verum etiam de aliena sponderet. Longiores inducias perosi, bello redintegrato Lusitanos aliquot abduxerant. Egit de illis redimendis Anchietæ, merces cum captivis permutandas (nam pecuniæ apud eos usus nullus) assignavit. Placuit conditio: at merces non apparerebant. Itaque captivos interficere, ac solennibus epulis adhibere statuerunt. Accurrit,

currit, re cognita Josephus; brevem unius diei moram postulat; postero die mane, inquit, cum sol hunc locum collustrare incipiet, præsto erunt mercatores. Eos nominatim appellabat, genusque mercium quæ commutandæ forent, recensabat: simul bono animo Lusitanos, jam de salute desperantes, jubebat esse. Adfuerunt hora prædicta infitores, & captivis libertas reddita.

Hac frustrati præda Tamuyã aliam sibi destinabant, qua humanæ carnis diram famem explerent, nempe Ariam Fernandum, qui ad Anchieta, veterem amicum, venerat nescio quid mandati ferens. Sensit Arias se signari crudelibus oculis, agitari consilia de sua nece; & amicum de periculo trepidus admonuit. Cui Pater: Quiesce, inquit: cras hoc ad litus succedet navis: ea te salvum sospitemque accipiet. Appulsa navis est, & Fernandum accepit. Ipsum tamen Josephum nequaquam elapsurum sibi confidebant: sed hunc pariter, uti affirmaverat, restituere coacti sunt, confecta demum tertio mense, quàm Nobrega discesserat, pace. Hæc diu non stetit. Duo Tamuyarum pagi bellum renovarunt, quod extractum est in biennium. Medio tempore advenit in Brasiliam Petrus Leitonus, primus Brasiliæ Episcopus; qua usus opportunitate Josephus Anchieta sacerdotio initiatur in urbe S. Servatoris. Inde ad S. Vincentii oram remissus, in ipso itinere partam de barbaris victoriam divinitus accepit. Nocte socium compellans, Gratias, exclamat, Numini mecum age; vicimus; Lusitani hostem in fugam compulerunt. Hanc à barbaris victoriam armati Lusitani reportaverant, aliam Christiana mulier sola & inermis ab impuro Tamuyarum globo retulerat. Ab iis deprehensa mori maluerat, quàm fœdari. Aberat Anchieta iter tridui, cum fortis femina moriendo triumphabat. Divinum obtulit illo ipso mane sacrificium, ut pro ejus victoria Numini gratias ageret, ac roganti Nobrega rem omnem exposuit, uti postmodum à captivis, qui unâ erant, narrata fuit. Idem post paulo piaculare sacrum pro defunctis cum fecisset præter solitum, interrogatus quid sibi vellet, respondit illa ipsa nocte in Lauretano Societatis collegio sacerdotem sibi pridem Conimbricæ notum obiisse: rogatus insuper ecquid de animâ illius statu comperisset, affirmavit illam cœlo, cum hæc divini sacrificii verba proferret, *Omnis honor & gloria*, receptam fuisse.

Quiescere Tamuyas passa non est gentis inconstantia, & inritus furor. Iterum capeffunt arma, majoribus animis, majore apparatu. Præfectus Januariensium Correa, Lusitanus, mittit continuo ad Vincentianos petitem auxilia. Magno molimine illa comparantur; nec minori celeritate, tum ob periculi magnitudinem, tum quia distat urbs S. Vincentii à Januariensi astuario iter quatruidui. Solus, qui hæc cernebat, Anchieta cessare videbatur, & festinationem irridere. Mirantibus cunctis, ac pæne indignantibus, Ite, ait, bonis omnibus: frustra tamen estis. Attulit ea vox metum, quasi res perditas ac profligatas diceret. Victos hostes illo die recessisse divinus vir asseruit. Exscenderant in littus, & copias instructissimas maximasque exposuerant: mox, tanquam de victoria certi, diem reliquum perdiderant otiosi; noctem somno ducebant, pugnam in diem posterum constitutam. Lusitanus antevertit, & somno ac securitate prava obrutos cecidit. Elapsi fuga nonnulli rupem insident natura & arte sic munitam, ut expugnari non posse crederetur: inde tamen eos dejicere Christianus molitur exercitus. Omnibus metu & expectatione suspensis, superatam rupem, quæ aberat quinquaginta passuum millia, & barbaros dejectos, Anchieta multis audientibus, narrare occipit. Cum fidem vix faceret, addidit postridie adfuturos de commissa feliciter pugna nuncios; qui re ipsa conspecti lætitiâ & admirationem cumularunt. Alias Lusitanorum acies numerosa, cum pari ethnicorum exercitu difficile commiserat certamen. Multi jam fluxerant dies; nulla, propter locorum intercapedinem, aspirabat fama. Josephus populum erudiens è superiori loco, repente conticuit, oculisque clausis immotus hæsit aliquandiu: tum, Eia, inquit, preces Deo simul fundamus; victoria penes nostros stetit. Fugam eodem puncto temporis hostes cæsi fusique capiebant. Ardebat nihilominus odio, ac pudore tot cladum, natio pervicax; & è suis damnis, veluti fortior animosiorque, resurgebat: minus olim timenda, cum impetu cæco, & suo ductu rem gerebat; tunc ideò

formidanda, quod alieno consilio regeretur. Illam audacia & spe impleverant duo Lusitani milites, rei bellicæ peritissimi, qui pœnam delicti nescio cuius ci-
mentes, ad eos se contulerant, novi & atrocis belli duces futuri.

Vidit periculum Anchieta, & antequam consilia cum hostibus & arma lo-
ciarent, reducidos domum ac placandos iudicavit. Ad eos ergo properat, cum
paucis comitibus, Lintre modico vehebatur, expedito illo quidem ad celerita-
tem itineris, sed parum firmo: ex arboris enim pragrandi cortice constabat.
Itaque undis & vento graviter jactatus mergitur cum vectoribus. Barbari nando
assueti ac nudi, nullo negotio litus tenuerunt; unus Anchieta defuit: rudem
natandi fluvius hauserat. Brasilus adolescens, natator egregius, continuo in flu-
men se demittit. Frustra investigatum per dimidiam horam, in imo demum flu-
mine confidentem videt, ac veste apprehensum in ripam pertrahit. Omnium in-
credibili stupore vivus & incolumis apparuit; festivè dicitans, id unicè sibi
tunc fuisse curæ, ut JESUM & MARIAM invocaret, ac ne quid malè hiberet.
Amisâ scaphâ, iter obeundum terra fuit, per tenebras caliginosâ noctis, & im-
bribus scædâ. Sic uvidus, & enectus fame, ad eos quorum causâ venerat, per-
vênit: qui patris amantissimi caritatem & sollicitudinem admirati totos se illi
dediderunt, & redeuntem, desertis hostibus, comitati sunt. Barbari ducibus de-
stituti arma posuerunt. Aliud bellum interim movebat Calvinianus doctor, ho-
stis impius animarum; jamque Lusitanis aliquot hæreseos venenum inspiraverat.
Detectus à P. Ludovico Grana, Societatis sacerdote, illi & viris plerisque do-
ctissimis non parum faceffiverat negotii, quippe in hac dimicandi palastra exer-
citus, Litterarum Græcarum & Hebraicarum non rudis; doctus resistere, si lo-
cus faveret; ac receptui canere, si premeretur. Delatus ad Episcopum & in-
vincula conjectus, demum flammis additus est. Doluit hominis vicem Anchie-
ta. Pertinacem aggreditur, & Ecclesiæ catholicæ restituit: dumque rogo impo-
neretur vivus, in suscepta Fide ac pietate confirmavit. Ipse de salute animabus
afferenda unicè sollicitus retulit se in Itanium, quem Brasilia tractum sibi præ-
cipuè sumpserat excolendum, & in quo degebat libentius propter ædem sacram,
Virgini sine macula conceptæ dedicatam, & oppidulum à Conceptione nuncupâ-
tum. Cum aliquando Brasilos per ingentem silvam temerè sparsos lustraret, in-
cidit in senem humi abjectum, & animam agentem: qui ad ejus aspectum ocu-
los manusque arrigens, Adesdum, inquit, mi Pater: jamdudum te opperit:
nec moriar prius, quàm docueris me viam qua itur in cœlum. Cognovit An-
chietta illum è remotissima regione deportatum, quo duce, qua via, ne ipse
quidem senex satis exploratum habebat. Multa de illo exquirunt, & vitæ seriem
per omnes ætatis gradus accuratè perscrutatus, intelligit hominem conatus om-
nes adhibuisse, ad naturæ legem, quantum humana fert imbecillitas, observan-
dam. Hic vero divinæ providentiæ vim suspiciens, suavissimè illum complecti-
tur, erudit, & pectori bene preparato salutis verbum inserit. Aqua deerat ad
baptismum necessaria: ubique sicca solitudo. Circumspicienti offert se carduus
silvestris, cujus folia delapsum recens imbrem collegerant. Sumit, baptizat senem, ite-
rumque complectens, extremum spiritum excipit, effossaque humo exanimem
piè tumulat. Atque huic quidem baptismum viventi est impertitus: alterum
jam mortuum ut eodem sacramento expiaret, ad vitam revocasse perhibetur. Di-
dacum vocabant. Christiano dignam homine vitam duxerat, ac nomen gesserat
Christiani; licet sacramentum, quo sunt Christiani, nunquam suscepisset; quod
ipse tamen rescire non potuerat. Compositum in feretro corpus efferebatur.
Moveri cœpit, sepulchrale linteum excutere, & sacerdotem inclamare. Adesd
Anchietta, nihil eorum, quæ agerentur, ignorans. Narrat Didacus redditum se
sibi, ut vitali resperfus aqua cœlo nasceretur. Respergitur, gratias agit; ite-
rumque se in feretro componit.

41.
Morbos varios
curat. Nostris
gubernandis
præficitur. Super-
rioris boni do-
tes.

Quamvis autem ea beneficia, quæ pertinent ad incolunitatem animæ, liben-
tius indulgeret, ea tamen quæ ad salutem corporum spectant, minime denega-
bat. Ægros non modo invisebat frequens, sed morbis etiam remedia, interdum
arti humanæ ignota, suggerebat. Lusitana mulier torquebatur tam gravi dolore
capitis,

capitis, ut mente vix constaret. Venit admonitus Anchieta, agro capiti manum imponit, & eo morbo nunquam deinceps tentandam, ut re ipsa factum est, pollicetur. Januariensis colonus ita pedibus captus, ut ingredi sine furcillis subalaribus nequiret, Josephum invisebat: cui Pater, Quin tu mihi hæc fulcra projicis? Neganti se aliter ambulare posse, tradit baculum Anchieta, quo, peregrè cum iret, uti consueverat. Eo nixus æger, domum repetiit, ac brevi fulcris uti desinit. Alius asthma molesto oppressus animam anhelantem vix reciprocabat. Juber illum Anchieta de proximo fonte bibere, precibus pauculis imperatis. Paruit, liberatus est. Alium sanguinis profluvio graviter laborantem medica ejusdem manus per languidum ducta corpus, illico persanavit. Erat in S. Joannis vico, præfecturæ Piratininganæ, quinquennis puer adeo mutus, ut vocem nunquam edidisset. Confluxerat in hunc vicum è proximis pagis ingens multitudo ad solenne ludicrum. Anser vivus è transverso fune, prono in terram collo, pendeat, præmium illi ex omnibus constitutum, qui insidens equo incitato, inter currendum caput anseris manu avelleret. Plerisque certamen ingressis, & in cursum frustra effusus, orta est contentio inter duos, qui partem capitis ambo sic avellerant, ut anceps victoria maneret. Cum palmam & anserem uterque sibi vindicaret, ludicræ scenæ difficilem & cruentum exitum fore apparebat. Communi consilio desertur litis arbitrium ad Anchieta, qui tunc in vico aderat. Ille mutum puerum ad se vocans, jubet palam pronunciare penes quem victoria, & victoriæ præmium anser esse debeat. Mirari omnes, & expectare quorsum id evaderet: pars etiam irridere; cum pueri, & muti, sententiâ definiendam esse controversiam audiverunt. Puer in medium procedens in hanc erupit vocem: Meus anser esto: hunc, si per te licet, Pater, domum ad matrem feram. Inexpectata festivissimi judicis sententia, miraculi novitas, restituta muto vox, omnium animos gaudio & admiratione perculerunt. Ipsi pugiles, ad pugnandum infestis telis parati, ultro præmium puero adjudicant; quem læta plebs domum plausu festo & gratulatione deduxit.

Quam porro externis afferebat opem, hanc suis fratribus, religiosis viris è Societate, non parcius indulgebat. Gonzalus Aloysius cubabat æger in collegio Januariensi: acerbum ulcus sinistrum brachium vitaverat; neque ullis remediis, non ferro, non igne, purulentus humor educi poterat. Statim atque signum crucis impressit Anchieta brachio scæde tumenti, virus abditum rupta cute fluxit. Dum alius pisces incoquit oleo æstuanti, exundans liquor manum exusserat. Gementem audivit præteriens: manumque ambustam cruce signans pristinum in statum restituit. Alius tristi laborabat nausea, nullum cibum admittente stomacho. Rogitat Pater ecquid obsonii maximè arideret. Ægrotus appellat ferculum, cujus nulla tunc domi, ac ne fortasse quidem iis in locis erat usquam copia. Pergit nihilominus Anchieta in cellam penariam, ac defectum ex obvio pisce frustum offert nauseanti: qui hunc ipsum, quem petebat, esse cibum admirans (nam piscis naturam in offerentis manibus exuerat) longam explevit famem, & escam stomacho docili retinuit. Pernambuco profecturus vir Dei, Franciscum Pintum Societatis sacerdotem, illum ipsum cujus paulo ante facta mentio *, in-

* *Suprà. num. 39.*

visit. Jacebat à medicis depositus. Næ tu, inquit Anchieta, homo delicatus es, qui sic in lectulo mori velis: agetum, surge, vive; longa tibi via, felix viæ meta, restat. Exiit lecto Franciscus; rediere vires, sanitas, & vita. Infinitus sim, cetera si prosequar ejusdem generis, adeo sunt multa: nunc alia quædam subjicio, quæ mirari simul & imitari liceat. Cum enim domui Societatis in oppido S. Spiritus præfuit, major exstitit facultas observandi egregias ejus virtutes, quæ hætenus velut abdita silvis & montibus latuerant. Ac primo quidem parendi alacritas enituit. Onus quippe gubernandi nostros sibi impositum, non recusantis specie, ut aliqui; sed candide ac simpliciter suscepit; licet ejus gravitatem probe sentiret, dicere solitus aliquando, rerum omnium quas in vita posset experiri maximè asperas & abhorrentes ab ingenio suo, nullam sibi occurrere molestiorem, quàm si aliis præesse cogeretur. Atqui erant in eo summæ dotes, quæcumque ad rectè gubernandum desiderari possunt, prudentia singula-

ris, benignitas, & moderatio; consilium in deliberando, vigilantia in providendo. Quas ob dotes non uni tantum alterive domui, sed toti Brasiliae provinciae postea praepositus fuit. Lenitatis & clementiae partes iis, qui praesunt, suscipiendas; ac tandiu dum liceret, retinendas esse arbitratur. Itaque, cum in sermone aliquis ita commemorasset, videri sibi boni praesidis munus esse, nihil ut impune a suis peccari patiatur, quod publica vel privata saltem reprehensione non castiget: Tu vero, subjecit Anchiera, erras, mea quidem sententia, longissimè: sic enim statuo, religiosae familiae rectori, si quid à quoquam delicti admittatur, esse faciendum primò ut Deo semel, iterum, ac tertio, delinquentem commendet, eique veniam à supremo illo rectore multis lacrymis impetret: deinde, ut reum leniter in loco admonens, ab eo confessionem errati ac dolorem exprimat; ad imponendam vero poenam, nisi ratio culpae id exigat manifestè, non descendat. Sanè unum è nostris, domesticae custodum disciplinae, quem rectoris ministrum vulgo dicimus, hominem justo acerbiosem, & exactorem officii rigidum, minuta quaelibet errata duriter multantem, increpuit; & hanc deponere, severitatis odiosa personam iussit, negans religiosos viros mercenariorum instar habendos esse, sed instar filiorum Dei; neque jugum obedientiae perprimendum, sed potius allevandum, & quodam quasi caritatis oleo molliendum*. Hoc insigniter praestabat ipse, nulli gravis, omnium commodis serviens, virtutis viam facilem unicuique, amotis impedimentis, sternens; antevertens ac providens ne quis laberetur, lapsos benignè erigens. Quibus artibus ita sibi animos devinxerat, ut eo conscientiae arbitro ferè omnis domus uteretur, essetque ambiguum plusne illum propter excellentem virtutem colerent sui, quam propter humanitatem diligerent. Eorum vitia aut noxas in sermonem induci non ferebat; agrotantes per se se curabat, in valetudinario pernoctans, seratus humi, aut tabula incubans, lignorum fasciculo capiti subiecto: nunquam enim, nisi ager, lecto est usus.

Marentes dulcissimè solabatur, aliàs qua futura erant praedicendo, aliàs idonea monita suggerendo. Utroque hoc modo sacerdotis aegritudinem lenivit. Querebatur ille foedis cogitationibus catervatim ingruentibus obrui se quantumvis repugnantem, ac prope vinci. Orabat Anchieram ut molestum certamen suis apud Deum precibus averteret, hostiumque vim infestam inhiberet. Imò, ait Anchiera, id precemur ut pares sustinendo certamini vires tibi subministret: novit ille quae in discrimina quisque sit conjiciendus, & quantus fieri cum tentatione proventus* debeat. Paruit sacerdos, ac divinae providentiae totum se permisit. Revocat eundem triduo post Anchiera, & liberandum penitus in posterum, si modo in periculum ipse se non induat, pollicetur. Prædictioni fidem eventus fecit. Non minori cura medebatur aliis incommodis Sociorum.

Cibus domi aliquando defecerat. Monitus sub horam prandii, signum pro more dari nihilominus jubet. Conveniunt vacuum ad mensam omnes; sedent paulisper, & in tempore ipso cista recentibus cibis plena praeter omnium expectationem illata foribus est. Olei penuria laborabat nostra. S. Vincentii domus ex uno cado, eoque non amplo, haustum erat aliquandiu ad domesticos usus, ad alendam in templo lampadem, ad egestatem pauperum sublevandam. Parè jam & malignè oleum stillabat; cadumque vacuum tristis promus destinabat alios ad usus. Vetuit Anchiera, & haurire porro ut pergeret imperavit. Dedit notum liquorem effectus cadus toto biennio; quoties opus fuit, donè oleum à vicinis importatum locis foret. Simili ratione vinum ad iter bene longum sufficit ipsi, & aliquot comitibus. Laguncula singulis diebus siccabatur: infundi tantumdem aquae jubebat, quae vini colorem & naturam induebat. Praecipuam fultura cognoscendi vim idcirco divinitus accepisse videbatur, ut imminencia mortalibus pericula propulsaret. Oppressi nocte Lusitani tugurium ad oram silvae exitarant: misti ad illos continuo qui denunciaret ne ibi pernoctarent. Iis digressis, atrox tempestas coorta per noctem proceras arbores, quae tugurio imminabant, stravit, quarum ruina tugurium penitus obrutum est. Sedebat aliquando quietus in cubiculo: proflit, ac janitorem inclamans edicit quammoxi januam aperiat: in eam patentem opportunè se projecit civis, cujus tergo ficariorum manus

* *Computrescet jugum à facie olei. Isaia 10.*

* *I. Cor. 10.*

manus armata jam habebat. Sape ab instituto descebat itinere, ut perniciem depelleret, quam alicui cognoverat impendere: sic in aliquam e nostris domibus ex improvise superveniens, arcanam unius e Sociis tentationem, qua summum in periculum adducebatur, explicuit ipsimet ac discussit, Nam intimas hominum cogitationes ita cognitâs, ut ea quæ cernuntur oculis, habebat; & iis quorum intererat, antequam verbum ullum proloquerentur, aperiebat; nunc ut eos a peccato, quod sine conceptum tegebant, deterreret; nunc ut scrupulum, quo urebantur, eximeret. Roget hinc fortasse quispiam unde tanta lux, tam admirabilis rerum abditissimarum provisio, tam dives tot virtutum copia existerit. Est ea Regii Prophetæ vox: *Accedite ad eum & illuminamini* *. Nihil scilicet studebat impensius Anchieta, quam ut arctissime Deo jungeretur. Adeo illius mentem divinæ colloquutionis suavitas ceperat, ut precatiori diu noctuque insisteret. In itinere, socios præcuntes ferme sequebatur; interdum præcurrebat, ut oraret commodius: e medio cœtu hominum sæpe subducebat se se clam, ut in Dei vocantis suavissimos amplexus iret: non raro inter orandum aut e terra eminens, aut pura circumfusis luce, conspectus est. Aliquando in littore consisterat, animo, ut apparet, a sensibus abstracto. Accedens maris æstus, cum præter eum finem, ubi sedebat, longè fluctus eiecisset, ipsum ne guttulâ quidem violavit. Prægressus Anchieta comes, & miratus quid tantum cunctaretur, respexit, ac fluctus circum undique liquido muro suspensos videns exclamavit, periculo ter-
ritus: & Anchieta, Nescis, mi frater, nescis *quia venti & mare obediunt ei* ? *

* Psalm. 33.

* Matth. 8.

Hinc illa mediis in periculis fiducia, illa securitas hominis, cui procellæ, imbres, aves, feræ, omnia, obsecundabant. Dum in S. Sebastiani collegio degeret, adiunxit se piscatorum catervæ proficiscenti ad insulam Maricanam, procul ab oppido, tum ne missæ sacrificio carerent, tum ut aliquot vacuos ab interlocutoribus dies cum Deo facilius transigeret. Magna vis piscium capta, quorum delectum in littore dum habent, ingens marinorum corvorum, & aliarum id genus avium numerus ad rejectos pisces advolantium, gravem piscatoribus molestiam facebat. Anchieta illas Brasílico sermone allocutus, iussit paulisper assistere, opere absoluto redituras. Omnes, quasi dato signo, avolarunt; & digressis piscatoribus, gregatim ad vorandas reliquias revolarunt. Per idem tempus conspectæ sunt eminus Pantheræ duæ, neque tamen ausæ propius subire, vetante Anchieta. Trepidî comites in naviculam se recipiunt, nam earum insignis feritas est. Miratus belluas aliquis, & cominus intueri gestiens, Anchieta indicavit. Disto citius ambas evocat. Accurrunt, sistant se in littore, ac sui copiam spectantibus ad fatietatem faciunt, nec ante in vicinum nemus refugerunt, quam illis, piscium parte projecta, discedendi veniam dedit. Navigabat aliquando in scapha. Æstus erat ingens; malacia summa; nulla meridianum solem aura mulcebat. Videt in arbore tres quatuorve quaracies: sunt volucres gallinarum magnitudine, purpureo colore in flavum vergente, specie pulcherrima. Ite, ait, populares vestras & consanguineas adducite, & hunc nobis solem alis vestris parumper defendite. Mirum: demisso collo (sentire imperium crederes) huc illuc discurrunt; mox redeunt grandi cum agmine, ac supervolantes plumeam constant umbellam, & ventulum lenem alis blande plaudentibus faciunt. Postquam aspirare cœpit Favonius, officio functas gratulantesque dimisit. Nec ejus voci duntaxat aves canoræ, sed muti quoque pisces parebant. Solitus erat e piscatoribus sciscitari quod genus maximè piscium optarent; & ut quisque certum genus nominaret, ita tractus maris alios aliosque designabat, in quibus piscarentur: inde, quam multos libebat, auferebant, non sine metu ne præda major, quam ut eam retia ferre possent, afflueret. Miratus est aliquando in litoreo vico cessare mæstos incolas & lamentari. Causam percunctanti respondent asperam esse tempestatem, sævum pelagus, inutilem piscatum aut penitus interclusum. Jubeat omnes secum ad mare pergere: inlat cunctantibus, Ivère; at spe nulla, propter cœli marisque inclementiam. Itaque rogitanti quos pisces velint, per jocum appellant pisciculos quosdam, qui tunc in isto mari nulli erant: indicat locum, magnam eorum ibi latere copiam affirmans; tantaque confestim appa-

42.

Mirum in pisces, feras, aves imperium exercet. Iis utitur ad barbaros erudiendos.

apparuit, ut eos ipsis etiam manibus exciperent. Neque vero ludicram duntaxat ex illo rerum creatarum obsequio sectabatur voluptatem homo servandarum animarum cupidissimus; sed miros indidem fructus capiebat ad divinam gloriam, & Brasilorum institutionem: quorum feritas rudis & imperita, ferarum exemplis melius, quam hominum sermonibus erudiebatur. Ita, cum docere vellet quanta sit vis & dignitas gratiæ divinæ, cujus compotes nihil habent ab ullo periculo quod timeant, exemplum à vipera & documentum perivit. In hanc de via inciderat. Ad ejus aspectum barbari, qui aderant, velocissimè diffugerunt: est quippe istis in locis viperæ morsus planè immedicabilis: at multo magis obstupere, cum eam sumpsit in manus; cum in sinum immisit innoxiam; cum blande palpans ac demulcens dimisit. Mox illud subjecit & explicuit, *Quis est qui vobis noceat, si boni amulatores fueritis* *? Rursum aliam alio quodam in itinere obviam, comitibus celeri fuga dilapsis, pede calcavit nudo (pedibus enim nudis ferè incedebat) ac venenatos morsus irritabat. Illa, venerantis ritu, pedem leniter allambens, molli sibilo veniam abeundi petere videbatur. Annuìt, amice submonens ne cuiquam in posterum homini noceret: tum reversos attonitosque comites increpitans, Hoc illud est, dicebat, quod Christus promisit suis: *Eccededi vobis potestatem calcandi supra serpentes, & super omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit* *. Ostensurus quàm jure ac merito laudari à nobis Deus propter immensam sapientiæ, bonitatis, & potentiæ vim debeat, invitabat aviculas; quæ digitis ejus aut humeris insidentes, nativo concentu auctoris sui laudes certatim prædicabant. Insectatus Brasilorum crudelitatem, quæ in hominum exultans nece, illorum etiam exuviis ferales mensas instruebat, barbaram consuetudinem lepido spectaculo coarguit. Ingentem simium alta ex arbore Brasilus jaculo dejecerat. Ad cadentis fridorem alii quidam è vicinis arboribus simii se commoverunt, ad quos pariter feriendos arcum barbarus contendeat: nam simiorum carnem in deliciis habent. Prohibuit Anchieta, eosque patrio sermone compellans, imperavit ut demortui filios, affines, amicos convocarent ad celebrandum funus. Adfuit simiorum exercitus: alii mortuum descebant lamentabili ejulatu: alii anterioribus pedibus, quas manus rectè dixeris, plangebant pectus: pars humi circa ipsum cadaver strati, barbam vellebant, disforquebant os miris modis, volutabant se in pulvere: pars corpus exanimum subjectis humeris deportabant; dum nonnulli ex arboribus alijs in alias, quasi funus prosequentes, insiliebant. Erant quos Brasilis immanitatem exprobare velle credidisses, ita illos truculento & minaci ore despectabant. Postquam per tria quatuorve passuum millia deducta hunc in modum exequiæ sunt ad vicinum usque pagum, Anchieta simiis timens, in silvam omnes, humanitatis officio probe functos, reverè jussit; & ad barbaros, qui risu multo & lætitia ejusmodi pompam spectaverant, conversus: En, inquit, ferarum mortem feræ, licet rationis expertes, luctu lacrymisque prosequuntur: vos in hominum funere tripudjare & commessari non pudor? Lusitanis quoque salutarem incutiebat metum, cum luctuosos aliorum exitus, Deo monstrante cognitos, prænuñciabat. Vir primarius in urbe S. Sebastiani religiøsæ vitæ ineunda consilium, ipso approbante, susceperat: sed profanis implicatus curis, tempus extrahebat, se commodiùs id in Lusitania, quò propediem cogitabat, facturum dictitans. Anchieta hominem vultu severiore intuens, Ibis tu quidem, ait, in Lusitaniam, neque tamen illic, aut in Ordine religiioso, sed in Brasilia mortem oppetes; & quidem dignam tua contumacia, qui vocantem Deum spernas. Ivit in patriam, in Brasiliam rediit insigni ornatus magistratu; dumque per vastas solitudines devius aberrat, confectus est fame, aut à feris peremptus: anno demum evoluta aridum cadaver inventum & agnitum. Non laquit Anchieta Lusitaniam toti funestus dies, qui Regem Sebastianum in Africa cum primariæ nobilitatis flore abstulit *. Mæstus præter mortem, & ingemiscens, publicæ calamitatis indicium fecit, quam postmodum tristes nunciis pertulerunt.

Tot prodigijs apprime vita consentiebat, quæque miraculorum omnium maximam ac certissimum est, solida constantisque virtus. Elucebat in ejus moribus summa

* 1. Petri, c. 3.

* Luc. X. 9.

* Prædicatio Nonas
Sextiles an. 1578

summa humanarum rerum commodorumque, ac sui ipsius, despicientia; industria in tegendis deprimentisque egregiis, ob quas in ore omnium erat, dotibus, ac portentis, quæ pro nihilo putare videbatur; summus religiosæ paupertatis amor; patientia laborum incredibilis & appetentia, quam ipsi Brasili, durum & agreste genus, mirabantur: vultus animusque semper idem; invicta lenitas & mansuetudo; par obedientia erga suos præfides, adversus alios facilitas obvia & comitas: vita denique omnis ex Dei nutu in omnibus suspensa; ut usurpare vere posset illud Prophetæ verbum *Tuus sum ego* *; nam in hoc virtutis caput perfectionemque collocabat, idque illustri exemplo declaravit. Joannes Fernandus, Lusitanus opifex, non minus probitate, quam arte sua præstans, cum æra Campana suspenderet in turri ædis sacræ collegii Bahyensis, præteriens Anchieta, provinciæ Societatis in Brasilia tunc præpositus, hominem nunquam antea visum aut cognitum, magna voce inclamat: *Fernande, videtis ut æra ista bona sint ac bene suspensa: tu enim primus è nostra Societate futurus es, in cujus funere pulsabuntur.* Mirari Fernandus; quippe qui, licet vir valde bonus, uxorem tamen habebat in Lusitania, nec de religione nostra incunda cogitabat. Exacto mense in morbum incidit. Ægrotantem inivit Anchieta, & de uxoris morte facit certior: deinde vultu toto majus quiddam ac divinius spirante, Beata Virgo, inquit, mater nostra, huic me misit, ut te in Societatem nostram admitterem; post diem septimum morieris: operam da, receptus in cœlum, ubi tua te conjux præstolatur, ut eidem Virgini Matri nos omnes, meque in primis, commendare studeas. Continuo illum deportari domum nostram, & instar unius è Societate curari jubet. Jam diei septimæ bona pars præterierat, & ingravescebat morbus, cum Socios adstantes, ac morientis læculo circumfusos, sic alloquitur: *Huic homini, post religiosæ paucorum dierum stipendia, mercedem fortunatæ mortis Deus idcirco tribuit, quia dum in seculo mercenariis obstrictus vinculis vixit, ac multo deinceps magis postquam sanctiorem vivendi formam est amplexus, totum se Numini dedit, totus Dei fuit. Eundem supremo judicii die testem Christus & accusatorem producet adversus illos, qui annis compluribus religiosam professi vitam, nunquam tamen se Deo totos ex animo dederunt. Ab iis auferetur regnum Dei* *; nec sanctioris modo instituti præmia non consequentur, sed debitas fœcordiæ suæ pœnas sustinebunt: atque utinam nullos hic ejusmodi cernerem! Hæc elocutus, cunctis metu percussis, abscessit. Post aliquot annos unus illorum, qui hæc audiebant, itemque alter à Societate descivit, exitioque suo docuit quanti referat virorum religiosorum, servire Deo *in veritate & corde perfecto* *.

Jam septem annos Brasiliæ provinciam rexerat, cum onus istud deponere coactus est *, quod ætas in senium prona & morbi graviores diuturnis ærumnis collecti, ferre amplius non poterant. Proræpebat nihilominus in Brasilorum pagos, cum licebat per valetudinem, eisque vitæ Christianæ leges explicabat. Sed cum prodeundi domo facultas nulla, viribus debilitatis, fuit; appulit animum ad scribendam Brasiliæ historiam, cui labori addictum mors occupavit in oppido Reritiba, V. Id. Junias anno MDXCVII, ætatis LXIV. Corpus delatum est itinere bidui humeris indigenarum in urbem S. Spiritus, ibi tenere se non potuit summus Anchieta amicus Joannes Soarius, quin feretrum aperiri peteret, ut hominis carissimi vultum liceret intueri, quod ipsi promissum ab Anchieta Reritibam proficiscente fuerat. Nam digrediens, & Soarium blandè aspectans, Valc, inquit, fili, non enim posthac nisi in altera vita colloquemur: tu quidem hic me videbis iterum, ita tamen ut ipse colloqui tecum non possim. Omisimus sexcenta ejus generis alia, studio brevitatis, quæ in ejus vitæ, per varios auctores conscripta, legere ac mirari licet.

43.
Illius præcipuæ virtutes. Eiusde de religiosæ perfectione judicium.

* Psalm. 118.

* Matth. 21.

* Isai. 38.

* An. 1585.

